



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio VIII. An, & quomodo Deus sit visibilis à creaturis per gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

DISPUTATIO OCTAVA.

An, & quomodo Deus sit visibilis à Creaturis
per gratiam?

Sectio I. *Virum intellectus creatus possit eleuari ad Dei visionem?*

Sectio II. *An creatus intellectus Deum videre possit sine lumine gloriæ, vel sine specie impressa?*

Sectio III. *An præter lumen gloriæ dari possit species impressa, quæ concurrat ad Dei visionem?*

Sectio IV. *Resutantur Recentiorū obiectiones contra speciem impressam Dei.*

Sectio V. *An Deus sit comprehensibilis ab intellectu creato, vel creabili?*

Sectio VI. *Probatur Deum non comprehendi à Beatis.*

Sectio VII. *Ostenditur Deum esse incomprehensibilem cuiunque creaturæ possibili.*

Sectio VIII. *An qui vident Deum, necessario totaliter aut equaliter eum videant?*

Sectio IX. *Quomodo Dei visio extensivè maior & minor esse possit?*

Sectio X. *An, & quomodo Dei visio, extendi possit in ordine ad creaturas?*

Sectio XI. *An & quomodo Deus sit ineffabilis?*



De proposita difficultate disputat S. Thom. totafere q. 12. & tota q. 13. quarum summa hæc est, omnis ijs, quæ præcedenti disputatione proposita, & exposita fuerunt. 1°. Dei essentiam videri posse à creaturis, cum illius visio sit earum finis ultimus, & naturali desiderio appetatur. 2°. Intellectu creaturæ ad hoc iuvari posse, non quidem per speciem impressam, quæ sit forma, & similitudo creata representans essentiam: hæc enim species est impossibilis: sed per lumen gloriæ conformans intellectum ad videndum Deum. 3°. Inter videntes essentiam divinam, vnum alio perfectius videre: quia illustratur maiori lumine gloriæ. 4°. Nullum eorum comprehendere Deum: quia lumen gloriæ, quod participat, finitum est: Deus autem est obiectum infinitum. 5°. Cum nullus intellectus creatus Deum videns ipsum comprehendat: nullum etiam videre in ipsius essentia, omnia quæ Deus facit, aut facere potest, sed plura vel pauciora secundum quod perfectius, vel imperfectius eam videt. 6°. Videntes Deum per suam essentiam, non videre per aliquas species, & similitudines, ea quæ vident in Dei essentia: sed per ipsammet essentiam divinam intellectui eorum unitam. 7°. Quæcunque ab illis videtur in Verbo, id est, in essentia divina: non successivè, sed simul videri: quia videntur per unam essentiam Dei, & non per diversas species. 8°. Deum esse ineffabilem hoc sensu, quod nullum ei nomen imponi potest ab hominibus, representans adæquatè ipsius essentiam. Sicut enim non potest à nobis adæquatè cognosci: ita neque adæquatè nominari. Possumus tamen imponere illi nomina quædam, non solum negatiua, ut quod sit inuisibilis, ineffabilis, incomprehensibilis: vel relatiua ad creaturas, ut quod sit creator, conservator, gubernator: sed etiam absoluta, quæ imperfectè significant ipsius substantiam. 9°. Nomina, quæ de Deo dicuntur conveni-

re illi propriè, & magis propriè, quàm creaturis, quoad rem significatam: secus autem quoad modum significandi, qui competit creaturis, ex quarum perfectionibus Deum cognoscimus. 10. Nomina, quæ de Deo dicuntur, non esse synonyma: quia licet vnam rem simplicem significant: tamen eam significant sub multis rationibus, & conceptibus diuersis, quos de Deo formamus, per proportionem ad perfectiones procedentes à Deo in creaturas. 11. Nomina illa, quæ sunt Deo, & creaturis communia, vt esse Spiritum, esse Intelligentem, Iustum, Sapientem, &c. non dici vniuocè de vtrisque, neque purè æquiuocè, sed analogicè, secundum analogiam creaturarum ad Deum. 12. Nomina quæ metaphoricè tantum Deo conueniunt, prius dici de creaturis, à quibus metaphoricè transferuntur ad Deum: sicut ridere prius dicitur de homine, quàm de prato. Quæ verò propriè illi conueniunt: magis propriè de ipso dicuntur, quàm de creaturis, quoad rem significatam, non quoad modum significandi, ob rationem supra dictam. 13. Nomina, quæ important relationem ad creaturas, vt esse Creatorem, & Dominum, dici de Deo ex tempore, non propter aliquam mutationem illius, sed per mutationem creaturæ. Ex eo enim quòd hæc in tempore creatur & existit, dicitur Deus illius Creator & Dominus. 14. Hoc nomen, Deus, significare naturam diuinam, licet ab aliqua eius operatione desumptum sit, nempe ab vniuersali rerum prouidentia: & non posse communicari creaturis, nisi secundum falsam opinionem, & analogicè: sed esse Dei maximè proprium, quia significat ipsum esse, & ipsum pelagus substantiæ infinitum, & esse in præsentia, sine præterito, vel futuro. Cum denique intellectus noster Deum, licet re ipsa simplicissimum, cognoscat sub diuersis rationibus: multas de illo propositiones, affirmatiuas veras formare potest. Hæc D. Thom. quorum aliqua in ipso textu satis perspicua, & facilia sunt. Reliqua sequentibus sectionibus examinabuntur.

SECTIO I.

Verum an relictus creatus possit eleuari ad Dei visionem?

CONCLUSIO affirmatiua est de fide apud omnes Catholicos. Probat primò ex Scriptura, vbi Deus visio tantam mercedem proponitur & promittitur, 1. Ioan. 3. *Smiles ei erimus quia videbimus eum sicut est.* 1. Corin. 13. *Vidimus nunc per speculum & in ænigmatibus: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Item Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego manifestabo ei meipsum.* Videri potest Vasq. disp. 37. c. 5. vbi hæc loca diligenter expendit. Probat secundò ex Concilijs & Patribus, à quibus eadem veritas clarissimè traditur: vt ab Euaristo antiquissimo Summo Pontifice, epist. 71. decretali; & à Benedictio XI. Extrav.

Benedictus, vbi ait, iustos post mortem videre diuinam essentiam immediate, clarè, & apertè se illis ostendentem. *Ibidem*, de vltima nempe illam beatam, facialem & intuitiuam vocat. Item à Concilio Florentino in literis vniuersis, vbi definit beatas animas clarè intueri Deum trinum & vnum, sicuti est; damnatque errorem Armenorum, & aliorum, existimantium Angelos & Beatos videre tantum eminentem quandam lucem, ex diuina substantia resultantem; ideoque dici videre Deum non in se, sed in lumine illo, vt sol in suo splendore cernitur. Idem denique tradunt SS. Patres, August. lib. 4. de Genesi ad literam, cap. 23. Dionysius de cœlesti hierarchia cap. 4. Gregor. 18. Moral. cap. 38. & alij.

Tertiò, D. Thomas q. 12. a. 1. in corp. ad idem confirmandum rationem hanc naturalem adducit. Quoniam, inquit, omnes naturaliter appetimus, visis Dei effectibus Deum videre, Appetitus autem naturaliter non est ad impossibile: ergo &c. Confirmatur, quia non datur pondus naturale ad impossibile: neque omnes homines naturali

1. Deus videtur potest à creatura per gratiam.

Benedict.

Florent.

August. Dionys. Gregor.

2. Thom.

D. August.

instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus, vt ait August. lib. 4. contr. uulium cap. 3. longè post initium. Circa quam rationem D. Thomæ disputant hic aliqui, siue in nobis appetitus naturalis Deum videndi?

Appetitus est duplex: innatus, & elicitus.

Pro quo nota primò, duplicem esse appetitum: vnum innatum, alterum elicatum. Innatus dicitur & applicatur per comparationem ad elicatum. Est autem elicitus, actus voluntatis aut appetitus animalis, quo desiderat, vel inclinatur ad aliquod bonum, verum vel præsumptum. Innatus autem est inclinatio rei cuiuslibet ad aliquod bonum & sibi conueniens; inclinatio, inquam, non per modum actus secundi, vt appetitus elicitus; sed per modum actus primi, id est, tantam potentia vel capacitas agendi, aut patiendi, vel recipiendi. Dixi autem, ad aliquod bonum & sibi conueniens, vt agenti scilicet, vel patienti, aut recipienti: quia sicut appetitus elicitus non est inclinatio ad malum, sed ad bonum dumtaxat, verum, aut præsumptum: ita neque innatus, qui per similitudinem eliciti explicandus est. Quare illum nimis extendunt, qui dicunt esse potentiam agendi aut patiendi vniuersaliter, id est, respectu cuiuscumque quod potest agere, aut pati: ex quo sequeretur intellectum creatum appetere errorem; & voluntatem creatam appetere peccatum; & Angelum appetere annihilationem aut damnationem, quam potest pati; & accidens appetere separationem à subiecto; & alia huiusmodi: quæ puto esse absurda.

Appetitus innatus naturalis est tantum circa bonum naturale.

Nota secundo, appetitum innatum, vt dicitur propriè naturalis, debet esse circa bonum quod sit possibile naturaliter: id est, quod res ipsa possit agere, aut recipere, solis viribus suis naturalibus, vel aduata ab alijs causis naturalibus, & eiusdem ordinis, cù solo Dei concursu generali: respectu enim aliorum bonorum quæ agere aut obtinere non potest, nisi eleuetur supernaturaliter, appetitus propriè loquendo debet dici obedientialis: sicut ipsa potentia actiua, vel passiuæ, circa huiusmodi bona (quæ est idem re ac ratione quod iste appetitus circa eadem) vocatur propriè loquendo, potentia obedientialis, quo nomine significatur in recto, res quæ potest eleuari: id est, vis illa inchoata & innata, quæ est res ipsa potens eleuari. Connotatur verò auxilium supernaturale, & causæ superior, cui debet subijci, & à quâ debet eleuari & compleri supra naturam debitam. Et quidem aliter appetit anima Christi vniuersalem cum corpore, aliter cum Verbo. Et aliter appetit natura Petri hypostasin Verbi, cuius est capax obedientialiter, aliter propria & connaturalem substantiam.

Appetitus naturalis elicitus duplex.

Nota tertio, appetitum elicatum posse dici naturalem dupliciter. Primò, ex eo solo quod solis viribus naturalibus elici potest. Secundo, quia insuper est de bono naturaliter possibili. His prænotatis facilis est questionis resolutio. Dico itaque primò, homines naturaliter appetere Dei visionem

appetitu elicito, priori sensu accepto: quia, vt rectè ait sanctus Thomas quæst. 12. art. 1. homines naturaliter, visis effectibus mirabilibus, desiderant videre causam. Itaque visis Dei effectibus mirabilibus in hoc vniuerso, desiderant naturaliter videre Deum vt eorum effectorem. Sicut autem viribus solis naturalibus possunt videre illos effectus, & cognoscere Deum esse illorum causam, vt docet Apostolus, Romanorum primo, versu 20. ita possunt iisdem viribus elicere desiderium videndi Deum tam mirabilem rerum artificem. Hic tamen appetitus elicitus non est naturalis posteriori sensu: quia de fide est, visionem Dei non esse nobis naturaliter possibilem. Neque etiam potest esse proportionatus dignitati obiecti, vel satis efficax ad finem illum obtinendum, apponendo quæcunque media necessaria, & superando quæuis impedimenta. Videri potest Herice disputat. 38. præcipuè capite 6. vbi fusè hac de re disputat.

Homines naturaliter appetunt videre Deum appetitu elicito.

Dico secundo, propriè loquendo non esse in nobis appetitum innatum naturalem ad Dei visionem: sed tantum obedientialem. Ratio est, quia licet à natiuitate nostra & ex entitate naturali ipsius animæ, habeamus vim aliquam ad efficiendam & recipiendam Dei visionem: illæ tamen non est huiusmodi, vt possit eâ attingere solis viribus naturalibus, vel à concausis tantum naturalibus adiuua; sed eget Deo supernaturaliter eleuante, vel per seipsum, vel per lumen gloriæ: vt partim liquet ex supradictis, partim inferius magis explicabitur.

Non CR in nobis appetitus innatus naturalis ad Dei visionem.

Disputat secundo nonnulli Recentiores, hoc loco, An ratio D. Thomæ sit efficax & demonstratiua, vel probabilis tantum? Efficacem esse affirmat Vasq. in dubit. circa artic. 1. quæst. 2. Sed contradicunt Suarez, Bañes, Caietanus, & alij, quos refert & sequitur De Salas 1. tractatu 2. disputatione 12. sectione 4. nec immeritò. Cum enim, vt iam diximus, duplex sit appetitus ad formam aliquam: innatus scilicet, siue naturalis, qui est ipsa potentia actiua, aut passiuæ, vel aliter receptiua: & elicitus, qui est desiderium boni cogniti, veri aut falsi? Si sermo sit de primo, tam est obscurus illi appetitus respectu visionis Dei, quam est obscurum, visionem Dei esse nobis possibilem, & humanum intellectum esse in potentia ad illam habendam. Si autem de elicito: ille ad impossibile, ex præsumptione falsa, esse potest. Desiderium verò naturale non est aliud, quam ad Deum cognoscendum quantum cognosci potest secundum naturæ capacitatem, quæ nobis non est manifesta. Quanquam ex eo quod desiderium Dei videndi sit valde commune inter homines ex vi naturalis rationis; quodque visionis possibilitas sit valde vniuersalis, vt mox patebit, potest hinc peti argumentum verisimile. Desiderium enim generaliter parsa

Vasquez;

per genus humanum, & persuasiones similiter uniuersales, nulli aliunde rationi cognitæ repugnantes, iure præsumuntur esse veræ, & esse participatio quædam diuini luminis intellectui, iuxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et hoc videtur D. Thomæ intendere.

Sed quamuis ratione naturali non possit demonstrari aut conuinci efficaciter, possunt tamen rationes apparentes in contrarium solui. Potest item probabiliter id suaderi, tum ratione D. Thomæ allatâ, tum quia primò euident est, Deum posse cognosci à nobis, quanquam confusè, tamen scientificè quoad existentiam, & pleraque attributa. Et quamuis hæc cognitio non sit intuitiua: tamen secundò constat intellectum creatum esse capacem alicuius notitiæ intuitiue, vt experientiæ sensibilium externorum, & nostrorum actuum interiorum. Tertio, est euident, etiam naturaliter, Deum esse summam virtutis, & posse suâ omnipotentiâ confortare creaturam, supra id quod sola possit. Quarto, constat euidenter Deum esse visibilem absolute, saltem sibi alioqui valde imperfectus esset. Vnde non repugnabit visio creata Dei præcisâ rationis visionis. Ex quatuor verò capitibus superioribus verisimile fit, posse Deo suppetere media quibus nos ad illam eluatur: cum in hac visione nulla alioqui implicantiâ nobis appareat. Dixi verisimile: quia licet non videamus implicantiâ, non sequitur non esse. Quanquam Dei omnipotentia, vt iungenda intellectui, tollit verisimiliter suspicionem implicantiæ.

Contra conclusionem obijciuntur primò duo genera testimoniorum Scripturæ; quorum priora affirmant Deum esse inuisibilem; posteriora narrant Deum à Iacob, à Moysè, & aliis visum fuisse facie ad faciem, ore ad os, & non per ænigmata & figuras: cum tamen visus tantum fuerit in aliqua similitudine corporæ. Vnde infirmitur Scripturæ testimonia similia, quibus probauimus Deum à Beatis visum in intuitiue sicuti est. Respondeo, priora ita intelligenda esse, vel de corporæ visio, quæ absolute impossibilis est, vel etiam de intellectu naturali impossibili intellectu creato. Posteriora verò non parum obediunt, nisi sequentes circumstantia omnem ambiguitatis suspicionem adimerent. Prima, quod Scripturæ locis allatis, non tantum visatur verbis, ore ad os, facie ad faciem, & non per figuras & ænigmata: Sed addat visum in a Beatis sicuti est, 1. Ioann. 3. & tunc cognitum in sicuti ipse cognoscit, 1. Corinth. 13. saluâ tamen disparitate comprehensionis, de qua dicemus sect. 7. Secundo, quod loca in initio allata ex Matth. 5. & Ioann. 14. & his similia, in quibus Dei visio absolute promittitur, continent pactum & præcipuam promissionem diuinam. In pactis autem & contractibus, verborum ambiguitas bonæ cuique & prudenti caueda est. Quare dici non potest, quod verbis illis signi-

ficeretur tantum optima & perfectissima cognitio, qualis in nobis de Deo esse potest, licet non clara & intuitiua. Deus enim vitæ que falleret nos, & verbis abuteretur sine ratione; cum non desint alia verba quibus id significare posset. Tertio, vt loca de Iacob, de Moysè, & similibus, intelligantur metaphoricè, cogunt alia loca Scripturæ, quibus significatur, Deum à nullo homine in vita mortali clarè visum fuisse: *Non videbit mortuus & viuet*, Exod. 33. *Deum nemo vidit unquam*, Ioann. 1. & alia id genus: præter circumstantias eorundem locorum, in quibus metaphora satis insinuat. At in aliis secus est. Nihil enim ad metaphoram cogit: & oppositum suadet tum verborum vis & proprietates per se, tum ratio promissionis, & præcipui fœderis diuini, in illis expressa. Quare merito in eum sensum sunt intellecta ab Euaristo, Benedicto X I. Florent. Concl. Dionys. Gregorio magno, citatis supra in 1. & à D. Augustin. in quæstiunculis de S. Trinitate, in fine tom. 3. & lib. 20. de Ciuit. cap. 29. aliisque locis, Clemen. Alexandr. lib. 5. Strom. non longè à princip. Cyrill. Hierosol. catech. 6. aliquantò post initium; Epiphani. heresi 70. & ab aliis Patribus.

Secundò, obijciuntur obscura quædam testimonia SS. Patrum, Chrysostomi, Theodoret, Theophylacti, & aliorum, quæ negare videntur, Deum, sicuti est, in se immediatè clarè videri posse. Respondet, Chrysost. & alios Patres, contra Anomæos disputantes, negare tantum visibilitatem quam illi adstruebant, comprehensiuam scilicet, vel passibilem virtutis naturalibus: vt bene exponit D. Thom. quæst. 12. art. 1. ad 1. licet interdum amplificatoriè loquantur, præsertim Chrysost. & hanc limitationem interdum non adhibeant. Vide loca Chrysost. nonnatisim, & aliorum Patrum in fauorem conclusionis nostræ, itemque locorum difficilium, quæ apparenter illi aduersantur, interpretationem apud Suarez lib. 2. de attrib. cap. 7. num. 15. Fazolum quæst. 12. art. 1. sub 3. & 4. Valent. quæst. 12. p. 1. De Salas tract. 2. in 1am. 2. disp. 4. sect. 1. Valentin. Herice disp. 36. cap. 2. & 3. qui omnes exemplo D. Thomæ, Chrysostomum & alios in bonum sensum explicant, consultius quàm Vasquez, qui disp. 37. cap. 2. & 3. Chrysostomum aliisque plures e Patribus errasse contendit tam communiter, & tam apertè contra Scripturæ sensum: cum tamen in eis nulla sint verba, quæ piam aliquam expositionem non admittant, quæque ex aliis eorundem verbis lucem veritatis accipere non possint: tamen quædam durius protulerint: quia mos Patrum fuit vt contra hæreticos disputantes, in oppositum aliquantum deflecterent.

Obijciunt tertio, inter obiectum & potentiam debet esse proportio. At inter Deum, & intellectum creatum non est; cum Deus sit infinitus, intellectus sit finitus: Ergo, &c. Item Deus non potest videri in se, nisi eius infinitudo videatur, quæ illi est essentialis: &

7
Quid sit ratio naturalis cuiuslibet visibilis rationis visionis Dei?

8
Prima obiectio ex Scriptura.

Verba Scripturæ quæ promittunt Dei visionem, sunt proprie intelligenda.

Euarist.

August.

Secunda obiectio ex Patribus.

Patres negant tantum Deum posse comprehendi. D. Thom.

Suarez. Valencia. De Salas.

10.

Tertia obiectio ex ratione.

nisi Deus comprehendatur, cum sit simplicissimus. At infinitudo non potest videri ab intellectu finito & Deus incomprehensibilis est, ex Concil. Lateran. cap. Firmiter. Ergo, &c. Tertio, Deus non potest videri nisi visione infinita, quia quod perfectius est obiectum, eod perfectior est eius visio. Deus autem est obiectum infinite perfectum: & quomodo- cunque videatur, ut Deus, videtur ut excedens infinite quicquid est creatum aut creabile. At intellectus humanus, aut Angelicus, non est capax actus infiniti. Quarto denique, fieri nequit ut intellectus humanus, vel Angelicus, Deum videat, nisi producat actum vitalem internam vi per quem videat Deum: neque potest talem actum producere sine facultate quadam naturali: unde sequitur, visionem Deum fore in se naturalem quoad substantiam, quia secundum illam fiet a principio vitali naturali, nempe ab intellectu humano, vel Angelico. Atqui falsum est visio- nem Dei esse actum naturalem quoad sub- stantiam: etenim actus ille non tantum vires naturales excedit, quoad modum quo fit: sed etiam quoad substantiam & entitatem suam, quae secundum suam specificam rationem est talis, ut neque ipsamet, neque similis in spe- cie, a causis naturalibus cum generali Dei concursu, vel effectiue, vel dispositiue, suffi- cienter attingi possit aut exigi.

II. Quae pro- portio re- quiritur inter obie- ctum & po- tentiam?

Ad primum Respondeo cum D. Thoma quaest. 12. art. 1. ad 2. inter obiectum & po- tentiam debere esse proportionem, id est, ha- bere adinam, & vim sufficientem ad perceptio- nem: at non proportionem certam, immen- surationis secundum quandam certum ex- cessum, defectum, aut adaequationem in per- fectione. Alioquin nec Deus, ut potest infinitus, posset vllum obiectum finitum cognoscere, defectu talis proportionis entitativae: nec a nobis ipse cognosci posset, ne quidem ab- stractiue, defectu eiusdem proportionis.

Deus po- test videri in adaequa- te.

Ad secundum Respondeo, non esse necessa- rium, ut qui Deum vident, videant totam eius infinitudinem adaequate, neque ut totaliter ipsum cognoscant, aut comprehendant. Ete- nim aliquid, licet simplex, cognosci potest, etiam intuitiue, quamvis non cognoscatur totaliter, & quantum cognoscibile est. Sicut oculus cognoscit albedinem intuitiue, at non eius dependentiam immediatam a Deo vel a subiecto: & intellectus percipit suos actus, & actus voluntatis, intuitiue secundum quid, saltem quod esse, non quoad alia multa, li- cet a parte rei indistincta.

12. Visio Dei non est in- finita per- fectione.

Ad tertium Respondeo, negando antee- dens: ad cuius probationem dico, obiecti perfectioris perfectionem esse visionem: sed non eodem excessu, neque pari perfectione, quae obiectum superat, alia obiecta se infe- riora: neque excessu arithmetico, & avon- tineat formaliter perfectiones omnium vi- sionum inferiorum, & denariis continet no- tum unitates, & linea centum pedum con- tinet nonaginta: sed excessu tantum geome- trico, quo pacto homo excedit perfectione

infinitas species brutorum possibili. Adde, eodem argumento probatum iri non posse, Deum a nobis cognosci abstractiue, & ama- ri hac in vita: quod tamen evidenter est falsum.

Visio Dei est super- naturalis, licet fiat concurren- te potentia vitali natu- rali.

Ad ultimum Respondeo, visionis actum, utpote vitalem, exire quidem ab intellectu: non tamen ut principio naturali, sed ut po- tentia obedientiali, subordinata speciali & supernaturali auxilio, quae potentia est ali- quo modo naturalis, quatenus innata substan- tia naturali: dicitur tamen supernaturalis, se- cundum ordinem quem habet ad effectus su- pernaturales, & ad causas quarum concursu indiget, ut consequatur tales effectus. Vel se- cundo responderi potest, exire quidem a principio naturali, non tamen ut operante naturaliter per vires solas naturales adiutas tantum a causis sui ordinis, & Dei concursu generali: sed ut operante supernaturaliter, & elevato per superiorem causam, & specia- lem Dei concursum, illi potentiae incom- pletae, atque imperfectae, non debitum.

SECTIO II.

An creatus intellectus Deum videre possit sine lumine gloriae, vel sine spec. impressa?

Conclusio: si Deus videatur ab intel- lectu creato, non est simpliciter necessa- rium lumen gloriae creatum, licet re ipsa de- tur: nec species impressa Deum clare reprae- sentans, quae re ipsa non datur. Prima pars est Maioris in 4. distinct. 49. quaest. 2. Capreoli, Paludani, & Argent. ad eandem distinct. Mo- linae quaest. 12. sic. 5. disput. 1. Suarez lib. 2. de attributis, cap. 16. aliorumque plurimo- rum. Quod non tantum intelligunt de intel- lectu absolute possibili, verum etiam de hu- mano & Angelico iam existente. Ratio eius- dem partis est, quia lumen gloriae creatum & habituale ideo solum requiritur, ut Deus suppleat vim efficiendi, quae deest intellectui de se insufficienti ad tam nobilem actum. Deus autem potest illam supplere per seip- sum, concurrendo maiori & speciali auxi- lio, sicut re ipsa supplet defectum intellectus & voluntatis ad actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, quando per illos disponi- mur ad habitus recipiendos. Neque enim tunc procedunt ab habitibus ipsius, cum hi natura posteriores sint, & illos veluti disposi- tiones in subiecto praesupponant. Confir- matur, quia Deus, cum sit omnipotens, ha- bet vim aequivalentem per se solam cuiuslibet virtuti creatae, potestque illam supplere: nihil forte sit imperfectio, & implicancia in suppletionem aliqua, qualis hic nulla osten- ditur.

13.

Maior, Argentin. Molin. Suarez.

Potest vi- dere Deus sine lumi- ne gloriae creato.

Neque his contradicit Consiliu Vienn- cum damnat Beguinos, aientes animam con-

14.

egere lumine gloria ipsam eleuant ad Deum videndum. Nam vel Concilium loquitur generaliter de lumine gloria, abstrahendo à creato vel increato, vt multi affirmant. Vel si, vt alij malunt, loquitur speciatim de lumine gloria, in sensu iam tunc & hucusque communiter recepto à Theologis, pro lumine creato; loquitur de necessitate secundum legem ordinariam, eodem sensu quo Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. definit Baptismum in re vel in voto esse necessarium ad obtinendam iustificationem, quæ sine alterutro haberi non potest, secundum legem à Deo positam: quamuis absolute posset Deus sine vllotali medio peccata remittere, gratiamque conferre. Sic enim Deus licet per se, sine habitu infuso, posset attollere intellectum ad visionem, non minus quam ad actum fidei dispositiuum, aut voluntatem ad actus spei & Charitatis: statuit tamen non attollere nisi per habitum. Idque valde congruenter quia conuenientius est naturali modo rerum, vt res habeant formas intrinsecas, & inherentes, ac permanentes, ad operandum: quam vt habeant assistentiam tantum extrinseci agentis. Nam formæ dant esse intrinsecum, & componunt, & magis accedunt ad similitudinem naturalium perfectionum, quæ sunt intrinsecæ, & cum eo, cuius sunt, coniunguntur verè ac physice in vnum compositum: quo modo non se habent quæ tantum assistunt. Eademque de causa infundit Deus iustis habitus permanentes fidei, spei, & charitatis, quibus actus proportionatos exercent, vt docet Trident. sess. 6. cap. 6. & 7.

Ad id verò quod Sotus, Ferrarientis, & alij Thomistæ obijciunt, implicare vt causa possit agere sine agendi vi & intellectu sine lumine gloria, non habere vim agendi. Respondet, implicare causam agere sine agendi vi, vel totali, vel partiali aliunde adiuta. Habet autem intellectus ad videndum Deum vim partialem, & inchoatam, quam non habet oculus, qui idcirco non potest attolli ad Deum videndum. Et hæc virtus inchoata intellectus nostri potest iuari dupliciter. Vel scilicet per lumen gloria habituale & intrinsecum: vel per auxilium Dei extrinsecum, æquivalenti lumen gloria quoad vim efficiendi & eleuandi. Generaliter enim potentia incompleta potest iuari dupliciter. Primo, per aliquid informans: quo pacto potentia cognoscitiua iuari dicuntur per habitus & species impressas; & vis motiua, per intentionem, & additionem roboris. Secundo, per aliquid tantum assistens, sine informatione: qua ratione assistit vnus homo alteri ad mouendum v.g. aut ferendum graue aliquod pondus. Potest enim ad hoc iuari homo dupliciter: vel recipiendo vim aliquam interiori, nempe maius robur, vel si alius ei assistat, & conferat suam vim ad agendum. Ita ergo Deus potest intellectum ad visionem sui iuare, vel per formam adiunctam, vel per assistentem concursurum. Sicut de facto ad

actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, interdum attollit per habitum, ad eos scilicet qui iustificationem consequuntur, interdum per se, vt ad antecedentes, & disponentes ad habitus fidei, spei, & charitatis, primum infundendos. Deus enim summa sua subtilitate potest in intellectum & voluntatem sese infinuare, & sine informatione conferre vim agendi, quam formæ infusæ habituales conferrent. Neque enim illæ sunt principia vitalia, ne quis causetur idcirco suppleri non posse: neque per informationem causant, sed per agendi vim, quam Deum supplere non implicat. Alia quæ obijciunt Thomistæ recentiores, leuiora sunt, & videri possunt apud Valentinum Herice disput. 47. cap. 1. & 3.

Secunda pars conclusionis, de specie impressa, quòd non sit necessaria, & re ipsa non detur: est communis Theologorum, & patet, quia generatim species impressa non est necessaria ad intelligendum, nisi quando obiectum est absens, vel non sufficienter coniunctum cum potentia, vt eam determinet: vel, vt multi addunt, quando potentia est de se insufficientis ad intelligentiam efficiendam, ideoque specie vt complemento & comprincipio efficiendi indiget. Deus autem seipso immediate coniunctus est intellectui Beati: & intellectus Beati, eleuatus lumine gloria, est principium sufficiens ad visionem: quare species Dei impressa ex nullo capite apparet necessaria: ideoque non datur re ipsa, quia Deus vt non deficit in necessariis, ita nec abundat superfluis. Neque oportet multiplicare principia quæ non sunt necessaria iuxta naturas rerum. Eademque de causa, non est necesse, quod aliqui dicunt, Deum dupliciter concurrere ad visionem in genere causa efficiētis. Primo, per modum causa primæ. Secundo, per modum principij connaturalis illi actui ex parte obiecti, qui concursus detur immediate per substantiam diuinam, liberè applicatam per voluntatem. Non est, inquam, id necesse, neque verum, quia intellectus informatus lumine gloria, vnà cum generali Dei concursu ipsi debito, sufficit ad visionem eliciendam in genere causa efficiētis. Neque in aliis cognitionibus existimo obiectum, quæ tale, concurrere effectiue ad sui cognitionem: sed dumtaxat determinatiue & obiectiue. Potentiam verò cognoscitiuam vel se solâ, cum generali Dei concursu, vel principio alio instructam, si est opus, cognitionem efficere. Arbitror etiam probabilius specie impressas, simpliciter & tales, non concurrere effectiue, sed tantum determinatiue, determinando quodammodo potentiam, de se indifferentem, ad obiectum cuius species sunt: Ac sicut voluntas, & appetitus sensitiuus, & vis motiua, est seipsa sufficiens ad actus proprios connaturales, posito obiecto vel subiecto in quod agat: sic intellectus sufficere ad suos. Nec obest quòd pro specierum diuersitate potentia cognoscens diuersimodè agat, & melius, si species sit illi

161
Species impressa non est necessaria ad Deum videndum.

Nec datur re ipsa.

Species non concurrunt effectiue ad cognitionem.

75
Potentia incompleta potest iuari per auxilium intrinsecum & extrinsecum.

ANTONIO
DEUS
VI

Deus non
concurrat
efficienter
ad sui vi-
sionem.

Valquez.

Causa vi-
sionis Dei.

commodior. Nam etiam appetitus & volun-
tas, posita meliori cognitione, vehementius
appetunt: licet cognitio non sit principium
effectuum appetitionis, sed conditio tantum
& applicatio obiecti. Specialiter vero in præ-
senti totis concursus effectiuus obiecti diffi-
cultatem habet propter relationes diuinas,
quæ ut sunt obiectum seipsis distincte & im-
mediate, ita seipsis districte & immediate hæ-
berent æquam operationem ad extra: contra
commune axioma Theologorum, *Opera
Trinitatis sunt induisa ad extra*, quia nimirum
omnia sunt ab vnica potentia tribus perso-
nis communi. Neque loquuntur coherenter
qui talem concursum, ex parte obiecti neces-
sarium, putant suppleri posse per speciem; &
tamen illum suppleri negant per speciem
impressam Beatis, per quam Deus, vice sui-
ipsius ut obiecti, concurrat effectiue. Nam si
cum posset imprimere speciem, tamen re ip-
sa non imprimit, sed per seipsum obit vicem
speciei: videtur esse consequens, vt similiter
cum possit obire vicem luminis gloriæ, non
infundat illud, sed eius vicem obeat. Aut
enim magis naturale est vt Deus tribuat spe-
ciem, cum possit tribuere, aut vt per se subeat
vicem speciei: & quicquid respondebitur, idem
de lumine gloriæ dicere poterit. Reipsa vero
sicut regis connaturale est infundere lumen,
quia lumen est forma quædam intrinseca &
componens: sic species est forma quædam
intrinseca & constituens in actu primo: &
Deus, illam supplet, supplet aliquam for-
mam permanentem & intrinsecam. Dixi
speciem impressam, simpliciter vt speciem,
non concurrere effectiue: quia non nego posse
instrui intellectum in principio, quod sim-
plicitate species quædam & similitudo obie-
cti, & vis actiua eatepus concurrat effectiue
ad cognitionem obiecti, qualem esse re ipsa
habitu luminis gloriæ confert Vasq. dis-
put. 43. c. 7. quem tamen potius pro simili-
lem esse puto habitibus in fidei, spei, &
charitatis, qui non habent rationem spe-
ciei impressæ, sed tantum in principio.

Ex dictis collige primo, quænam sint cau-
sæ visionis Dei. Nimirum intellectus, videns
tam vitaliter elicentis, id est, cum viuâ
& vitali attentione ad obiectum: lumen glori-
æ concurrans cum intellectu, velut causa
superior eleuans illum & complens in gene-
re causæ efficientis ad elicendum illum
actum, quem solis viribus naturalibus non
poterat elicere: & Deus ipsi concurrans cum
intellectu, & cum lumine gloriæ, concursu
connaturali ipsi lumini gloriæ, sique debi-
to naturaliter ex officio causæ primæ. Quæ
tres causæ concurrunt actiue seu efficienter
ad productionem visionis, Deo insuper, per
modum obiecti, excitante potentiam & de-
terminante ad sui perceptionem, ad eum
modum quo obiecta creata, etiam materia-
lia, excitant intellectum Angelicum ad sui
cognitionem, determinando tantum, non au-
tem actiue influendo, seu concurrando effe-

ctiue ad illam, vt dicemus in tract. de Ange-
lis, disp. 58. sect. 3. & 4.

Collige secundò, officium luminis gloriæ
esse, iuuare intellectum, per modum actus
primi, ad efficiendam Dei visionem, vt docet
S. Thom. quæst. 12. art. 5. in corp. vbi sic ait:
*Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non
sufficiat ad Dei essentiam videndam: oportet
quod ex diuina gratia semper accrescat ei vir-
tus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis in-
tellectiua, illuminationem vocamus.* Idem cum
D. Thoma docet Concil. Viennens. damnans
huiusmodi propositionem Beguardorum:
*Animam non indigere lumine gloriæ ipsam ele-
uante ad Deum videndum.* A cuius Concilij
mente planè aberrauit Aureolus, intelligens
per lumen ipsam visionem, & Vasq. id proba-
bile censens disp. 42. cap. 2. num. 4. Nam
Concil. definit nomen illud requiri ad vi-
dendum Deum, id est, ad Dei visionem. Ergo
lumen illud non est ipsamet Dei visio; idem
enim non requiritur ad seipsum. De-
inde Concilium damnat prædictam propo-
sitionem eo sensu quo à Beguardis asserbatur.
Ac eorum sensus non erat, posse Deum videri
sine Dei visione, id est, absque eo quod Deus
videatur, quod manifestè implicat: sed Deum
posse videri natura viribus sine auxilio lumi-
nis gloriæ. Falluntur quoque illi qui dicunt
sufficere posse ad Concilij explicationem, re-
quiri concursum Dei, vel speciem eius im-
pressam. Nam si tantum egeret anima specie
impressæ; esset æque potens de se naturaliter
ad Deum videndum, & que est ad videnda
obiecta naturalia per eorum species. Quare
hæc opinio incidit in sententiam Durandi
supra refutatam. Idemque dico si secundum
illos Authores, tantum requiratur concursus
Dei generalis, & connaturalis potentia. Nam
Concilium Vienn. plus intendit, nempe non
esse in anima nostra potentiam intelligendi
naturaliter sufficientem ad Dei visionem. Si
autem loquuntur de concursu Dei superna-
turali: idem censent cum illis qui putant
Concilium explicari posse sufficienter de lum-
ine increato, quod est ipsemet Deus con-
currans supernaturaliter. Pius enim cum D.
Thoma actionem esse ipsam et agens, quod
per seipsum immediate producat effectum,
Melius vero sentire arbitror eos, qui expo-
nunt Concilium de lumine gloriæ, in sensu
iam tunc, & antea, communiter recepto &
vfitato in scholis: nempe de lumine habi-
tuali & creato. Nam verba Conciliorum in
suis definitionibus, debent intelligi, quoad
fieri potest, iuxta proprium & vfitatum lo-
quendi modum, communiter receptum. No-
mine autem luminis gloriæ intelligebatur
proprie iam tunc à Theologis communiter,
& que ac nunc, lumen creatum, infusum à Deo
Beatis, vt per illud eleuentur ad sui visio-
nem. Nec obest quod Concilium defuit contra
Beguardos, animam indigere lumine il-
lo, ipsam eleuante ad Deum videndum, &
eo beatè fruendum: quasi aliter non possit

18.
Officium
luminis
gloriæ.
D. Thom.

Explicatur
definitio
Concilij
Vienn. de
lumine
gloriæ.

Deum videre. Quia ut supra diximus, Concilium loquitur de potentia ordinaria, & secundum præsens Dei decretum non aliter animam Beatorum iuvandi & elevandi. Simili modo quo Trident. sess. 6. cap. 4. definit justificationem à peccato originali, post Evangelii promulgationem, non posse haberi sine baptismo, aut eius voto. Quamvis de potentia absoluta æquè posset Deus infirmare sine baptismo; ac potest dare sui visionem beatificam sine lumine creato.

Huic muneri luminis gloriæ aliqui addunt alterum, disponendi intellectum ad hoc ut essentia divina illi uniatur per modum obiecti determinantis: quia hæc determinatio, æquè ac species impressa, si daretur, prærequirit potentiam habere virtutem perfectam & sufficientem, in genere causa efficientis, ad videndum. Verum hoc munus non est diversum in re à priori: sed est idem, diversis terminis, & per diversa connotata, explicatum. Addunt alij lumen gloriæ esse dispositionem ad visionem. Sed falluntur, si proprie loquantur de dispositione, aliudque intelligant quam illud, quod modò diximus. Nam habitus supernaturales non sunt dispositiones ad actus, sed sunt eorum principia in genere causa efficientis, concurrendo cum potentia quam elevant.

SECTIO III.

An præter lumen gloriæ dari possit species impressa, quæ concurrat ad Dei visionem?

20
D Thom.
Arabal.
N egant S. Thom. quæst. 12. artic. 2. Capreol. Caiet. Ferrar. Bress. Dominic. Sorus, & alij Thomistæ communiter, quos sequitur Arabal disputat. 16. cap. 4. & 5. & quidam alij recentiores, quorum argumenta paulò post referemus.

21
Sed melius affirmant Scotus, S. Bonaventura, Aureolus, Henricus, Argentina, Richardus & alij quos citat, & sequuntur Fazolus qu. 12. artic. 2. dub. 1. Molina ad art. D. Thomæ vitatum; Valent. quæst. 12. puncto 2. Suarez lib. 2. de attributis cap. 13. num. 1. Becan. cap. 9. quæst. 2. Herice disput. 29. cap. 8. & alij plerique. Ratio præcipua est, quia nihil debet negari omnipotentia divinæ quod non implicet contradictionem. Sed non implicat contradictionem dari talem speciem. Si enim implicaret; vel id esset quia repugnat Dei similitudo creata: vel secundò, quia repugnat ut illa similitudo concurrat effectivè, aut determinativè, ad visionem obiecti, quod est munus speciei impressæ: vel ex alio capite verisimiliter assignabili. Non primum: quia visio ipsa est quædam vna Dei expressio & similitudo. Quare non repugnat dari creatam Dei similitudinem. Non etiam secundum: quia si lumen gloriæ concurrat ef-

fectivè; quidni species supernaturalis posset etià concurrere vel effectivè, si natura speciei hoc exigat; vel determinativè, id est, determinando intellectum, de se indifferentem ad omnia intelligibilia, ad cognitionem & visionem huius obiecti in particulari? Ac si divinus intellectus, & voluntas, & essentia dicuntur immediatè communicari per lumen gloriæ, & per charitatem, prout Deus est intelligens & amans: cur per speciem impressam non poterit communicari ut intelligibilis; cum in rebus creatis non difficilius sed facilius fiat communicatio rerum ut cognoscibilium, quàm ut activarum; & multæ res, ut colores v. g. communicent se per species, quæ aliter non agunt? Ex nullo verò alio capite sumi potest verisimiliter ratio implicita, ut patebit ex solutione objectionum, quare non est asserendum talem speciem implicare contradictionem.

22
Obijciunt primò, si posset dari species impressa divinæ essentia, esset infinita & comprehensiva: quia exiret ab obiecto operante tota vi per modum natura: unde representaret obiectum ad quæquæ quantum est intelligibile: igitur infinita & comprehensivè. Respondeo primò, negando sequelam. Nam sicut species expressa in creatis est finita representatio essentia divinæ, & non totalis neque comprehensiva: sic non repugnat dari speciem impressam finitam, Deum finite representantem, & non comprehensivè. Secundò, ad confirmationem respondeo speciem illam non manaturam ab obiecto nisi per voluntatem liberè applicato. Deus enim liberè facit quicquid extra se facit. Possit autem voluntas Dei libera magis aut minus applicare: unde species perfectior vel imperfectior ab obiecto manare posset, cum maiore aut minore vi representativa. Sed quavis obiectum non per voluntatem liberè applicaretur: quoniam efficeret speciem comprehensivam, si aliud illa impossibile est, quæ de re fact. sequenti.

23
Secundò obijciunt Thomistæ, repugnare similitudinem creatam Dei, quia Deo enti à se, & vi puro, & infinito simpliciter, nihil creatum potest esse simile. Respondeo primò, argumentum æquè pugnare contra speciem expressam, eoque magis quod species expressa est similitudo viudior obiecti. Secundò dico repugnare assimilationem cum Deo, in essendo in specie atoma, secundum substantiam, non autem intentionalem & in representando. Ad representandum enim intentionaliter aliquid quod sit suum esse, non oportet ut quod representat illud, sit pariter suum esse. Quemadmodum non est necesse ut quod representat substantiam, sit substantia; quod quantitatem, quantitas, &c. Notiones enim nostræ verè representant id cuius sunt notiones, licet non sint eiusdem natura.

Tertiò obijciunt, speciem impressam debere esse immaterialiorem & elevatiorem obiecto, sicut concurrit in speciebus interioribus.

Species
Dei im-
pressa dari
potest.
Molina.
Valentia.
Suarez.
Becan.
Herice.

21
Speci-
dei impres-
sa non so-
let com-
prehensiva.

22
Dei simi-
tudo inten-
tionalis non
repugnat.

23

Species impressa non est semper immaterialior obiecto.

nalibus rerum materialium : sed nihil creatum ita se habet ad Deum : ergo, &c. Respondendo notando maiorem. Nam alioqui cur non etiam species expressa deberet esse immaterialior? Species impressa supremi Angeli, in summo connaturalis, secundum Thomistas, non est eleuatio obiecto. Quare, vel ipsis assentientibus generaliter falsum est quod assumunt. Ad omni quidem specie intelligibili materiali, species est immaterialior obiecto, quia est spiritualis : at non ita res habet in ceteris, ut in illa specie Angeli. Certè cum species impressa sit tota propter expressam, nec magis quam illa representat, gratis requiritur, ut sit immaterialior impressa, quam expressa.

24

Obijciunt quartò, sequatur fore causam creatam beatificatiuam hominis, quod est absurdum. Item posset Angelus per solas naturas vires illam speciem cognoscere : & cognoscendo illam, simul etiam videret essentiam diuinam, quæ per illam speciem clarè representaretur : atque ita naturaliter foret beatus, quod etiam est absurdum. Respondeo primam argumenti partem æquè pugnare contra intellectum ipsum, & contra lumen gloriæ. Repugnat quidem esse causam creatam beatificatiuam hominis simpliciter, obiectiuè : at non formaliter, ut facit species expressa, seu visio beatifica : neque etiam effectiue, ut facit intellectus concurrente lumine gloriæ : multoque minus determinatiue, vel per modum conditionis, ut faceret species impressa, iuxta eorum opinionem, qui ultra obiecti præsentiam, requirunt speciei determinationem ad videndum.

Causæ creatæ concurrunt ad hominem beatificandam.

Species impressa Dei foret Angelis inuisibilis naturaliter.

Altera argumenti pars æquè pugnat contra speciem expressam : cui respondendum est, illam speciem fore supernaturalem, sicut visionem & lumen gloriæ : ac proinde non posse cognosci naturaliter ab Angelo : sed Angelum, qui non haberet vim completam ex parte potentie ad Deum videndum, non habiturum etiam ad videndum hanc speciem aut impressam aut expressam, prout representatiuam Dei secundum rationem germanam ipsius, vel ad cognoscendum ea mediante, & in ea præcognita, rationem germanam Dei : sed quamuis illam inuenerit : non propterea videret ipsam essentiam diuinam. Nam illa species non est essentia diuina, sed est aliqua eius representatio imperfecta.

25

Intellectus creatus intelligendo producit verum nescis, & speciem expressam. D. Thom. D. August.

Respondent Thomistæ, non dari speciem expressam, nec verum mentale & visionem beatificam. Sed hæc responsio est manifestè contra D. Thom. quæst. 27. art. 1. & lib. 3. contra gentes cap. 49. & quæst. 9. de potentia art. 5. & alibi passim, vbi docet verbum formatum ab omni intellectu creato, eo ipso quod intelligens est. Et quæst. 4. de veritate art. 2. idem expressè docet de visione per essentiam. Est etiam contra D. August. lib. 9. de Trinit. cap. 7. 10. & 11. & lib. 15. cap. 28. Est item contra veran. & communem Philosophiam, docentem intellectum creatum, generatim, intelligendo, formare vi-

uam & vitalem expressionem & similitudinem intentionalem obiecti, quæ vitalis expressio & similitudo verbum mentis appellatur. Cuius productionis comparatione solent Theologi & Sancti Patres explicare productionem Verbi diuini à Patre per viam intellectus : quæ productio sine dubio realis est, tenditque ad terminum realiter distinctum à suo principio. Quare intellectusoster non intelligit per solam quandam simplicem & indistinctam modificationem, ut Moderni aliqui sentiunt, quos alibi suis impugnabimus : sed dum intelligit, producit actum realiter à se distinctum, qui verbum mentis appellatur. Alioqui enim non esset bona comparatio prædicta, productionis Verbi diuini realiter distincti à Patre, cum productione verbi nostri mentalis. Ille verò actus non est species quæ intellectui impressa sit, quasi intellectus non sit nisi speciei receptio. Etenim actus vitalis debet exire ab ipso principio vitali : & actio sentiendi non est receptio sola, sed est viuæ perceptio obiecti, & expressio vitalis, naturæ posteriori quæ receptio speciei. Alioqui quodlibet medium recipiens speciem, sentiret, quod est falsum. Nec etiam est se tantum intellectus ut coniunctus intelligibili, per se, aut per speciem : quasi intellectus cognoscat per se solus, facta illa coniunctione. Etenim se ratio, v. g. visio, non est huiusmodi coniunctio. Qui enim dormit apertis oculis, recipit speciem obiecti, nec tamen videt. Item aut dicendum esset nullas remanere species in intellectu, & in sensu nostro : aut eos semper percipere & intelligere obiecta : quia quoadiu manent species, sunt coniunctæ cum potentia. Adde quod intellectus in seipso percipit nouum actum & conatum suum : & intendendo diutius ac vehementius in idem obiectum, melius percipit, & plures detegit rationes. Habet etiam contrarios actus affirmandi & negandi, assentienti & dissentienti, circa vnum & idem, ut patet experientia. Item in mentis est potestate, ut se admoueat ad intelligendum, vel amoueat ab intelligendo : ac mens seipsam agit & veluti mouet scienter & liberè. Denique intellectus, quæ se eleuatur ad Dei visionem, & ad alios actus supernaturales per habitus in se ipsos eleuatur ad agendum aliquid, & ad vitaliter se exercendum, & erumpendum in actum vitalem. Quod volentibus Herice disp. 27. num. 15. & disput. 45. num. 49. & alij quidam eruditi Recentiores efficaciter probant ex can. 4. sess. 6. Trident. vbi definit liberum hominis arbitrium cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, neque, velut inanime quoddam, nihil omnino agere, merique passiuè se habere. His enim verbis Trident. clarè significat, liberum arbitrium se habiturum velut inanimè quoddam, si non ageret, sed tantum passiuè se haberet. At intellectus videns Deum non se habet ut inanimè quoddam, sed ut viuens : quia videt Deum est viuere, & beatitudo est vita in actu secundo : ergo intellectus, cum videt, debet

infra disp. 37. scilicet. & Tom. 3. disp. 16. scilicet. 4.

Intellectus & voluntas eleuantur ad agendum.

Herice.

debet agere & non passivè tantùm se habere, recipiendò aliquid sibi impressum. Ille verò actus vitalis intellectus non minùs est vitalis expressio, & verbum mentis respectu sui obiecti, scilicet Dei, quàm cetera cognitiones intellectuales sint verba mentis, & expressiones vitales suorum obiectorum.

26 Viso Dei, & intellectio quælibet non est sola qualitas producta. Notandum tamen visionem, & generalius loquendo, intellectionem, non esse solam illam qualitatem productam, realiterque distinctam à substantia intelligente, quæ formaliter & adæquatè constituit intelligentem, hoc ipso quòd informat & inhæret subiecto. Nam si ita esset, Angelus & anima beata intelligeret aut videret Deum tantùm adiectivè, ex eo quòd haberet formam accidentalem sibi adiunctam, quæ est intellectio aut visio Dei: simili modo quo paries est albus, aut manus est calida, per formam albedinis aut caloris. Ex quo sequeretur quòd mens æquè intelligeret, aut videret Deum, quamvis illam qualitatem non produceret, sed tantùm reciperet, & subiectaret: Imò quòd res inanima, puta lapis, æquè videret Deum, si qualitatem illam reciperet: quòdque eadem qualitas separata ab omni subiecto, esset Dei visio, & vitalis eius perceptio. Nam accidentia abstracta à subiecto, vel in quocumque subiecto posita, habent eandem naturam, eadèque officia seu munia naturalia. Ut calor, siue abstractus à subiecto, ut in Eucharistia, siue coniunctus aquæ, ferro, aut cuius alteri subiecto, semper calor est, & calefaciendi vim habet, ac itaque formaliter calidum illud omnè quod informat. At est falsum & incredibile, accidens aliquod separatum esse vitalem Dei perceptionem, Beatique non aliter videre Deum, quàm videret lapis, aut res inanima, merè passivè se habens, & tantùm subiectans illam qualitatem. Potius ergo dicendum est visionem Dei adæquatè sumptam, & generaliter quocumque intellectionem, includere vitæ qualitatem productam, ipsum principium substantiale, ut per se producens vivo & vitali modo, id est, cum attentione experimentali suæ productionis, & obiecti, cuius expressionem elicit: ita ut producendo simul attendat, & attendendo producat: sitque impossibile separari attentionem à productione, respectu talis principij viventis & vitaliter tendentis in obiectum.

SECTIO IV.

Refutantur aliæ Recentiorum obiectiones contra speciem impressam Dei.

27 Arrabal. Bicit quintò Arrabal disp. 16. cap. 5. Similitudo impressa esse non potest similius obiecti, quod per suam infinitatem, & simplicitatem, est perfectiori modo intelligibile, atque vnius potentia, ut multò melius illam moueat: quàm esset per similitudinem & eam. Sed Deus est tale obiectum: ergo &c. Maiorem probat, quia nulla res esse

potest, quæ essentia liter ordinetur ad dandum alicui rei certum quendam effectum, quem illa per suam essentiam habeat: puta non possent esse accidentia ordinata ad reddendam substantiam potentem ad operandum, si substantia ipsa esset per se potens integrè ad operandum, multò melius quàm esse possit per accidentia. Neque dari possent habitus naturales ad facilitandam potètiã, si potentia per se solam haberet summam in operando facilitatem. Notat autem dupliciter obiectum dici posse intelligibile. Primò, terminatiuè: quatenus scilicet potest cognosci, & terminare sui cognitionem: & hoc modo, inquit, quodlibet ens est per se ipsum intelligibile terminatiuè, hoc est, idoneu ad terminandam sui cognitionem. Secundò, motiue, quatenus intellectualem potètiã mouere potest ad sui intellectionem: & hoc modo, inquit, multa sunt obiecta, quæ in ratione mouendi potentiam, non sunt per se proximè intelligibilia, neque vitæ potentia, ut illam moueant: quorum imperfectio suppletur per similitudinem impressam in potentia inhærentem. Quædam etiam licet sint per se proximè intelligibilia motiue, & respectu vnius potentia: non sunt tamen respectu aliarum. Ut substantia vnius Angeli est ipsi quidem intelligibilis per se, ac proinde sine similitudine impressa: aliis autem Angelis non est proximè intelligibilis per se, sed per similitudinem. Hæc ille.

28 Cui respondeo negando maiorem primi argumenti. Ad cuius probationem dico talem speciem non daturam Deo ut moueat per se proximè, sed moueam per se proximè loco ipsius Dei, licet minùs perfecte, ac Deus ipse per se proximè moueat. Quamvis autem Deus sit per se proximè potens mouere perfectissime, quia tamen liberè mouet, potest non mouere per se, & speciem sibi substituere. Quemadmodum licet substantia essent per se potentes integrè ad operandum, ut esse ad multas operationes non dubito: posset tamen Deus cum illis non concurreret, & accidentia substituere ad calefaciendum, illuminandum, & ad alios effectus, qui per sola accidentia, cum Dei concursu generali fieri possunt. Potent etiam absolute illi effectus oriri à substantia simul, & ab accidente, siue ut causis partialibus, siue etiam ut totalibus. Quia Deus potest ita concursum suum temperare, ut plures causæ, de se sufficientes ad producendum effectum, remissius tamen & partialiter agant; neque vnius presentia & actio impediatur ne altera cogat. Sicut naturaliter fit quando plures equi trahunt currum, ad quem trahendum duo sufficientes: aut cum decem traherent sufficientes quinque. Tandemque vnaquæque causarum illarum minùs conatur & laborat: ut nos experimur, adiuti ab alio in ferendo aliquo pondere, quod soli terre possumus. Item (quicquid aliqui dicant) non implicat dari plures causas totales eiusdem effectus in eo

Deus potest facere per aliud, quod potest facere perfectius per se solum.

Tomo 4.
disp. 24.
sect. 2.

dem genere causæ efficientis, vt nos alio loco probabimus. Idemque dico de facilitate habituali & accidentali indita potentia, non indigenti, sed de se habenti summam facilitatem intensiuè, quam habere potest. Hoc enim non impedit quin intensiuè maiorem habere possit per aliquod accidens adiunctum, quod similiter possit concurrere ad operationem per modum causæ partialis, aut totalis, respectu facilitatis in actu secundo: id est, possit esse actu causa operationis tam facilis.

29.
Hæc.

Obijciunt sextò aliqui Recentiores apud Valent. Herice disput. 40. num. 42. ex huiusmodi specie impressa sequi duo contradictoria. Primum est, quod ea species connaturaliter efficiet visionem, & non efficiet connaturaliter. Efficeret: quia complet principium ad visionem, & est obiectum applicatum, nec quicquam desideratur ad eam producendam. Ergo eam connaturaliter efficiet, sicut ignis applicatus connaturaliter efficit calorem. Non efficiet verò: quia essentia diuina comparatur ad illam qualitatem, tanquam principale ad substitutum: & essentia est etiam, & est proportionata in ordine ad visionem: ergo illa connaturaliter efficiet visionem, & non species. Nam in presentia principalis & proprii agentis cessat actio substituti, saltem connaturaliter. Secundum contradictorium quod sequitur ex specie Dei impressa, sic ostenditur, species impressa ex sua ratione essentiali ordinatur ad supplendum defectum presentia, aut proportionis obiecti. Ergo si talis defectus esset impossibilis respectu alicuius obiecti, impossibilis est species eius impressa. Atque defectus ille est impossibilis respectu Dei: ergo species Dei impressa est impossibilis. Minor patet, quia impossibile est Deum non esse vbiq; presentem: & non esse per se proximè visibilem habenti facultatem sufficientem ad videndum, id est, non esse per se proximè sufficienter potentem ad mouendum & determinandum ad sui visionem. Maior verò est communis doctrina Philosophorum. Eius autem sequel a probatur, quia vbi defectus est impossibilis; est quoque impossibilis natura realis quæ ordinatur ad supplendum defectum. Nam si esset illa natura, deberet constitui in esse reali per ordinem ad effectum possibilem. Et sicut implicat potentia productiua realis in ordine ad effectum chimæricum: ita species realis, in ordine ad exercitium chimæricum implendi defectum impossibilem.

30.
Species impressa non sufficit ad visionem ob-

Ad primum Respondeo primò, speciem impressam non efficiere visionem, aut intellectionem, id est, non concurrere ad illam effectiuè, sed tantum determinatiuè. Secundò, speciem impressam non sufficere ad visionem proprie dictam & strictè, id est, ad intuitiuam notitiam & experimentalem rei in

seipsa, & in sua reali actualique presentia perceptæ: sed requiri vterius determinacionem ipsius obiecti, per seipsum immediatè exhibentis se potentia intellectiua, ipsamque excitantis ad sui cognitionem vt presentis & actu existentis. Nam species impressa, & earum determinatio, sufficiunt tantum ad notitiam abstractiuam, quæ in creaturis est imperfectior, quàm intuitiua. Solius enim Dei proprium est cognoscere sine vlla notitiæ suæ variatione, ac sine vlla differentia perfectionis, res abstractiuè quando non sunt; & intuitiuè, quando actu existunt: ita vt per solam mutationem obiecti notitia Dei de intuitiua fiat abstractiua, vel contra. Quare nono speciem illam cum intellectu perfuso lumine gloriæ, sufficere ad Dei visionem, sine immediato ipsius concursu, velut obiecti perfectius determinantis, & ad notitiam perfectiorem, nempe intuitiuam excitantis. Præstaret tamen connaturaliter illa species quicquid possit: connaturaliter, inquam, id est, virtute sibi connaturali & proportionata: quamuis essentia diuina tanquam causa principalis, per se presens & proportionata, possit perfectius ad visionem sui excitare & determinare obiectiuè. Nec obest quod essentia diuina comparatur ad illam speciem, tanquam principale ad substitutum. Quasi propterea non possit species agere connaturaliter presentia essentia: quia in presentia principalis & proprii agentis cessat actio substituti saltem connaturaliter. Respondeo enim primò, speciem illam non esse substitutam ex necessitate, sed ex abundantia. Secundò, posita illa multitudine causarum quamuis non necessaria, potius esse connaturale, vt ambæ concurrant partialiter ad effectum, ad quem vtraque vim habet, non obstante vnus principalitate, & alterius subordinatione. Et axioma illud, in presentia principalis agentis cœnat actio substituti, non est verum vniuersaliter, neque necessarium, sicut in iis effectibus moralibus, in quibus per voluntatem liberam constitutum est, vt potestas substituti cesset in presentia principalis & substituentis.

Quomodo concurreat species Dei impressa

31

Ad secundum Respondeo, speciem impressam ex sua essentiali ratione ordinari ad determinandum quantum patet: & ad concurrendum in modum obiecti excitando & determinando ad ipsius cognitionem: quamuis imperfectius, quam sit necesse ad inquisitionem, quæ sine obiecti ipsiusmet determinatione fieri nequit ab intellectu creato: hæc autem totum haberet species Dei impressa. Defectus verò obiecti non est essentialis speciei, vt neque supplere illius defectum, quoad id quod suis terminis importatur vltra ordinem supradictum. Licet verum sit species impressas, quando potentiam determinant, & cum illa concurrunt vice obiecti, supplere aliquo modo defectum, vel presentia & proportionis obiecti, vel concursus

Species impressæ ad quod ordinatur essentiali

determinatiui eiusdem non per se determinantis, quamvis sit præsens & possit determinare. Nam si non determinat; perinde se habet, ac si non esset præsens, ac proportionatum, vel potius bene dispositum ad determinandum. Existimo enim nullum esse obiectum, quod non possit per se determinare, si sufficienter & debite præsens sit. Fieri tamen potest ut quædam obiecta non sint bene apposita ad determinandum: ut, ex. gr. obiecta visibilia retrò posita, non sunt bene applicata ut oculum determinent per seipsa & immediate. Porro licet defectus præsentia ut proportionis obiecti respectu Dei sit impossibilis: non tamen est impossibilis defectus concursus determinatiui: quippe quem liberè præstat, ut ante diximus. Quare licet species Dei impressa ordinaretur essentialiter ad suppleendum huiusmodi defectum: non propterea ordinaretur ad exercitium chimæricum & impossibile. Quod si in istis, specierum impressarum necessitatem non aliunde oriri, quam ex defectu obiecti. Respondeo primò, oriri etiam ex defectu potentiarum creaturarum, quæ non per se sufficient ad cognoscendum, sine concursu determinatiui obiecti, vel speciei: in quo differunt ab infinita Dei intelligentia. Respondeo secundo, speciem de qua loquimur, non fore ex necessitate, sed ex abundantia & liberalitate omnipotentis diuinæ.

32 Obijciunt vltimè alij Recitatores: si possibilis esset species Dei impressa, posset conferre Dei visionem tam viam & beatificam, quam est Beatorum visio. Consequens est impossibile: ergo & antecedens. Probat maiorem, quia species impressa censetur esse qualitas, aliqua præuia ad cognitionem, quæ, obiecto præcipuum non concurrente, potentiam ita instruit ad obiectum percipiendum, vel absens, vel non bene propositum; ut si obiectum ipsum concurreret, non aliter perciperetur. Atque adeo species impressa æquiualeat occursum obiecti præuigæ & iuvanti facultatem, & tenet se ex parte obiecti. Minorem verò confirmans, primò quia ut aliqua species Deum ita fruendus & conspiciendum traderet Beatis, deberet Deo æquiualeat in diuinæ caritatis gustu iugendo: quod est impossibile. Secundo, Deus non delectaret immediate Beatos, sed per accidens se habere Dei existentia ad nostram beatitudinem. Nam cum species impressa fungitur vice obiecti; tamen si obiectum non esset in rerum natura, eodem modo fieret perceptio obiecti: & per accidens est quod sit obiectum, vbi est species impressa. Tertio, species impressa in intellectu, non valent ad intuitionem intellectiuam. Nam species impressæ manent, pereuntibus obiectis: præ præuigibus, rosas, manent species impressæ rosarum in Angelis. Ergo, si sufficienter excitarent ad intuitionem, An-

geli rosas hyeme intuerentur ut præsentis & existentes. Ergo fallerentur, in portia intuitiua, & in vltima sua perfectissimaque experientia, errore prorsus naturaliter ipsis incorrigibili, quia non habent notitiam superiorem & certioram, quæ illam corrigant, sicut nos errorem sensuum corrigimus per intellectum. Quamvis autem Deus sit essentialiter existens: si tamen eius species impressa cum aliis vniuersè conueniret; deberet, per se, independentè à Dei existentia, posse causare eius intuitionem. Per accidens enim esset, quod Deus aliunde non potest non esse.

Ad hæc Respondeo, negando sequelam maioris propositionis primi argumenti. 33 Species impressa non tam perfecte determinat, quam obiectum ipsum, neque tam quam præstat, eius cognitionem. Nulla enim est species impressa quæ tam perfecte determinet, atque obiectum ipsum, sufficiatque ad experientiam eius perceptionem, & proprie dictam intuitionem: quamvis sufficiat ad notitiam quidditatiuam & germanam, id est, non analogicam, sed imperfectiorem & minùs viuידam, quam sit intuitiua. Itaque visio Dei, & omnis alia experientia obiecti perceptio, pender essentialiter ab ipso ut immediate determinante potentiam per se ipsum, ad sui visionem aut perceptionem experimentalem, seque ipsum sitente & exhibente potentia percipiendum, & fruendum, secundum suam realem & physicam existentiam & præsentiam. Neque potest per aliud concursus iste suppleri: quæ admodum neque concursus materis se exhibentis, neque, vel formæ se exhibentis materis. Ita ut impossibile sit absque tali concursu obiecti esse talem, & tam viuידam, tamque perfectam obiecti notitiam, qualis est eius perceptio experimentalis. Qua de re plura dicemus alibi in tractatu de Angelis, disp. 38. sect. 3. & 4.

34 Ex his patet responso ad id quod dicitur in probatione maioris. Nego enim quod in illa assumitur. Neque omnia hæc philosophantur de natura & efficacia specierum impressarum, quam non nouimus nisi valde obscure & imperfectè, ex quibusdam effectibus & experientiis. Nullam autem habemus experientiam certam eius quod in probatione illa assumitur. Sed potius si bene attendamus, experimur cognitiones, quæ per solas species impressas fiunt, esse minùs viuידas. Vnde Christus Luc. 24. vers. 39. ut probaret Apostolis suam resurrectionem, eos hortabatur ad exactam & accuratam explorationem sui corporis, per exactam & accuratam sensuum applicationem, velut argumentum certum & infallibile: qualia de se esse argumenta fidei diuinæ. *Palpate & videte, quia spiritus carnis & ossa non habet, sicut me videte habere.* Cætera verò quæ in minoris confirmationem adduntur, nobis non absunt. Quamquam ad secundo argumento malè assumitur, Deum in eo casu non delectaturum Beatos immediate. Neque enim proprie a intellectu & voluntas

Deus per
speciem
visus del.
ctaret im-
m. hie
Be. tos.

Beati non tenderent immediatè in Deum ipsum licet per speciem tantum impressam cognosceretur. Quemadmodum licet finis nondum existens cognoscatur tantum per speciem impressam: intellectus tamen ipsum immediatè cognoscit, id est, non mediante alio cognito: & voluntas ipsum intendit & amat immediatè, & coque potest delectari per anticipacionem, representando sibi illum ut presentem & possessum. Sed neque Dei existentia se haberet per accidens ad speciem illam supernaturalem, quæ ratione suæ perfectionis non potest non esse vera: & idcirco ex natura sua, adeoque per se, postulat & exigit, obiectum esse prout ipsa representat. Quare cum Deum representet ut existentem & presentem: quia se habet per accidens ad Dei presentiam & existentiam. Idemque dico de specie expressa, id est, de ipsa visione beatifica, quæ supernaturali, ac necessariò vera & infallibili: quicquid in contrarium dicat Ripalda lib. 3. de ente supernaturali, disp. 59. sect. 1. cui merito alij refragantur acriter, & non sine censurâ, ut refert ipsemet sect. 4. & 5.

Ripalda

35.

Ceterum licet non sit possibilis species impressa quæ tam vividam & suavem, perfectamque Dei-notitiam ingeneret, sufficiatque ad intuitionem, ut ipsa per essentia diuina per seipsam immediatè determinans intellectum Beati, seque ipsi fruendam exhibens: Non tamen dubito possibilem esse quæ sufficiat ad notionem Dei germanam & quidditatiuam, & nihilominus abstractiuam. Nam primò, possibile est Deum in transitu, vel ad certum tempus, ab aliquo videri, ut nonnulli putant fuisse obiter visum à Patro & à Moyse. Secundò, posset ex illo actu visionis temporaneæ, relinqui species, valens ad memoriam & recordationem, sicut ex aliis rebus intellectus relinquuntur species similes: quod possumus per argumentum ad probandum dari species impressas intellectuales. Tertio, illa species valeret connaturaliter ad recognoscendum non modò actum præteritum, sed etiam obiectum ab illo perceptum: & quidem propriè, quidditatiuè, & germanè. Sicut qui rosam vidit æstate, recordatur hyeme non modò se vidisse: sed & conceptum rosæ format quidditatiuam atque germanam. Et quis semel aut sæpius urbem aliquam vidit: format deinde conceptum eius non analogicum, ut antea, per comparacionem ad alias ciuitates sibi notas: sed proprium & germanum. Quarto, ex his rebus sequitur possibilem esse speciem aliquam impressam, quæ sufficiat ad Deum quidditatiuè & germanè cognoscendum. Nam species impressa elicta ex visione Dei temporanea, hoc haberet. Sufficeret enim ad recordationem visionis, & Dei ut antea visi. Ex quo infero quinto, dari etiam posse speciem impressam, quæ Deum solum quidditatiuè & germanè re-

Probatur
dari posse
speciem
impressam
quæ suffi-
ciat ad ger-
manam Dei
notitiam.

presentet sine recordatione visionis, ac sine vlla visione præcedenti. Nam species creata, immediatè à Deo impressa, sine visione præcedenti, quæ Deum non representaret perfectius, quàm illa quæ ex visione relinqueretur, non esset perfectior, & magis eleuata supra conditionem rerum creaturarum: imò esset imperfectior saltem extensiuè, quæ non tantum representaret, quantum illa representat. Solum enim Deum representaret aequè imperfectè ac altera, quæ ultra Deum, eius quoque visionem, præteritam representaret. Qui autem potest perfectius in eodem genere, potest & imperfectius quod est eiusdem rationis, excepto excessu. Quare si posterior species est possibilis, nulla est ratio existimandi priorera esse impossibilem. Adde quòd sæpè multò melius recordamur obiecti, quàm actus quo illud percepimus, de quo interdum dubitamus, cum non dubitemus de obiecto, ut experientia constat. Quod signum est huiusmodi representationes posse separari. Et quidem nihil præbabiliter dici potest ad offendendum non posse, tam actualiter, quàm habitualiter, aut virtualiter, separari representationem obiecti, à representatione actus: & obiectum non posse habere speciem impressam sui solius, id est, distinctam à specie representante visionem, & seipsam, ut visum; quæ tam perfectè ipsum representet, ac representat species quæ ipsum simul cum visione præcedenti exhibet meliora.

SECTIO V.

An Deus sit comprehensibilis ab intellectu creato, vel creabili?

Principiò statuendum est quid sit propriè comprehensio. Multi enim ad fugiendam difficultatem præsentis quæstionis hac voce abutuntur: quæd præcipue facere Nominales, more sibi familiari, affirmat Vasquez. disput. 53. cap. 3. Eius autem significatio propria sumenda est, tum ex analogia ad corporalem & localem comprehensionem, ex qua ad spiritalem & intellectualem vox trinnaga fuit: tum ex vtu Antiquorū, præcipueque Sanctorum Patrum, ex quorum mente, sine dubio Concilium Lateran. cap. Firmiter, pronunciauit Deum esse incomprehensibilem. Fundat enim Concilia suas definitiones vel in Scriptura, vel in doctrina & traditione Sanctorum Patrum. Dicitur autem corpus aliquod comprehendere corporaliter, & localiter, ab eo intra quod adæquatè includitur: ita nimisim ut nihil illius sit extrâ. Quo pacto mundus hic inferior comprehenditur cælo Luna, & firmamentum cælo Empyreos. Similiter ergo dicitur comprehendere cognitione illud, quod adæquatè cognosci-

36.

Vasquez.
Compre-
hensio quid
sit?

tur, ita mirum ut nihil illius lateat cognoscere. Hunc conceptum comprehensionis cognoscitiua tradit S. Thom. quaest. 12. artic. 7. in corp. ubi sic ait: *Illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur: perfecte autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile.* Et S. August. epist. 112. cap. 9. in it. *Aliud est videre: aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod praesens utcumque sentitur. Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videmem.* Vbi, quicquid dicitur Vasq. loquitur August. etiam de ipsa Dei visione, de qua immediate antea dixerat in fine cap. 8. *Non quia Dei plenitudinem quisquam, non solum oculi corporeis, sed vel ipsa mente, aliquando comprehendit.* Et in quaestiuiculis de Trinitate, quae habentur tom. 3. *Videri potest Deus, id est, intelligi secundum sua donum gratiae, sive ab Angelis, sive ab animabus Sanctorum: plenam vero diuinitatis naturam, nec Angelus quislibet, nec Sanctorum aliquis perfecte intelligere potest. Ideo incomprehensibilis dicitur.* Nota plenam, & perfecte, id est, adaequatè secundum omnem rationem obiectiuam, apprehensiuam, assertiuam, difficultuam, et diuinitatem cognitam. Et in lib. de cognitione verae vitae cap. 31. asserit, Deum esse incomprehensibilem respectu creaturarum, quia nulli creaturae ad plenum est intelligibilis. Et lib. 12. de ciuitate cap. 18. *Quicquid scientia comprehenditur, inquit, scientis comprehensione finitur: id est, non latius patet quam scientia comprehendentis, quia scilicet nihil est extra illam: id est, nihil eius est, quod non cognoscat distinctè & adaequatè.*

Eundem conceptum comprehensionis tradunt alij Patres Latini & Graeci, quos refert de Salas 1. 2. tract. 2. disput. 4. sect. 6. Latini quidem, ut Minutius Foclix in Octauio, colum. 12. *Deus, inquit, comprehendit non potest, infinitus, immensus, & sibi soli tantus, quantus est, notus.* Et Hilari. lib. 2. de Trinit. colum. 5. ubi explicans Dei incomprehensibilitatem, *Angeli, inquit, nesciunt, Archangeli non audierunt, sancta non tenent, &c.* Primalius quoque in illud. 1. Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest,* asserit Beatos Deum non comprehendere: *Quia nemo videt quantum est, sed unusquisque pro merito, & Solem tanto amplius videmus, quanto purior fuerit acies oculorum.* Et in illud. 1. Corinth. 13. *Cognoscam sicut & cognitus sum:* ait id esse intelligendum cum limitatione excludente comprehensionem, quando subiungit: *Tamen in quantum potest de Deo mens humana cognoscere. Nam quis potest Deum, de est, scire? id est, cognoscere quantum cognosci potest.* Et S. Gregor. Mag. lib. 10. moral. cap. 7. alias 10. *Ipsi quoque, inquit, electi spiritus visioem tanta celsitudinis perfecte non penetrant, id est, non quicquid est Deus peradunt, sed aliquid habent reconditum: id est, oque non comprehendunt, ut confirmat Venerabilis Beda in illud. 1. Ioan. 3. *Videbi-**

mus eum sicuti est, ubi sic scribit: Non quid Dei plenitudinem quisquam vel oculis corporeis, vel mente, aliquando comprehendit. Aliud est enim videre: aliud totum videndo comprehendere. Et denique Anselm. in cap. 1. epist. 1. ad Anselmum Timoth. *Idcirco, Deus inuisibilis est (supple adaequatè) quia eius magnitudinem nemo saltem valet mente comprehendere.* Ex Patribus vero Graecis idem perspicue tradit Cyrill. Hierosol. Cateches. 6. aliquantò post initium, Vbi sic habet: *Vident sanè Angeli non sicut Deus est, sed quatenus ipsi capere possunt. Vident Archangeli, sed ut capiunt Throni & Dominationes plus quam illi: sed minus tamen quam pro Dei dignitate. Solus autem Spiritus sanctus, simul cum Filio, prout oportet, videt. Ipse enim scrutatur omnia profunda Dei.* Vbi nota rationem cur Spiritus sanctus videat sicut oportet, id est, perfecte & comprehensiuè, esse, quia omnia scrutatur, ita ut nihil Dei penitus ipsum lateat. Eademque ratione Chrysofost. in homiliis contra Anomæos probat Deum esse incomprehensibilem, quia eius iudicia sunt incomprehensibilia, iuxta illud Pauli Rom. 11. *O altitudo &c.* Ergo multò magis eius essentia. Nazianz. verò orat. 2. de Nazianz. Theolog. probat, Deum esse incomprehensibilem, quia posuit tenebras latibulum suum: id est, quia ex toto vel ex parte later in tenebris, neque ab vilo perfecte totaliterque videtur, quantum visibilis & cognoscibilis est. Quod de Angelis quoque intelligendum esse ait Helias Cretensis Scholiasies Nazianzani, & Theodoretus in Dialogo, *Immutabilis, longè à principij rationem reddens, cur Deus ab Angelis non comprehendatur, ait: Non enim vident diuinam substantiam, quae vniuersa comprehendit.* Id est, non vident distinctè, perfecte, & adaequatè illam amplitudinem illimitatam diuinæ substantiæ, quae formaliter aut eminenter omnia continet.

Ex quibus omnibus manifestè liquet, Sanctos Patres per comprehensionem mentalem, intelligere illam cognitionem, quae adaequat obiecti amplitudinem, ita ut nihil illius eam lateat, id est, nihil sit in obiecto, cognoscibile, quod non cognoscat: & incomprehensibilitatem Dei, oppositam eius comprehensioni, in eo consistere, quod Deus non cognoscat, neque cognosci possit ab vlla creatura quantus est: ita ut nihil ipsius eam lateat, sed omnia scrutetur & peruadat. Vnde ex opposito sequeretur quod creatura Deum comprehenderet, aut possent comprehendere, si re ipsa cognosceret aut cognoscere possent Deum, quantum est cognoscibile ex parte obiecti, id est, secundum totam suam amplitudinem obiectiuam, ita ut nihil Dei penitus eas lateret. Quare comprehensio formaliter & essentialiter nihil est aliud, quam adaequatè cognitionis & obiecti in amplitudine: ita nimirum ut tantum parat cognitio, quantum obiectum: nihilque profus, ut cognoscibile in obiecto, quod cognitio distinctè & clare non attingat. In quo conceptu comprehensionis conueniunt nobiscum praeter sanctos Pa-

Anselmum

Cyrill.

Chrysof.

Nazianz.

Helias Cretensis Theodoret.

38



res & D. Thom. supra citatos, Victoria, quem multi Recentiores citant & sequuntur: De Salas disput. cit. num. 99. ubi Victoriae sententiam refert & approbat: Suar. lib. 2. de attribut. cap. 29. num. 13. Molina ad qu. 12. art. 7. Albertin. in Corollar. principio I. qu. 4. Fazolus qu. 12. art. 7. dubit. 4. nu. 10. & alios alij.

39. Ab illo vero aberrant, & comprehensionis nomine abutuntur primo, Gregor. Gabr. Maior, & alij nominales, apud Fazolum artic. cit. dub. 3. num. 7. existimantes ultra predictam adaequationem, requiri ad comprehensionem, ut sit cognitio intensissima & perfectissima, qua intensior & perfectior dari non possit. Unde probant, Deum non posse a creatura comprehendi, quia non potest creatura cognoscere Deum perfectissima cognitione, qua cognosci potest: Nam omni cognitione creata, est dare perfectiorem, scilicet increatam, & divinam. Sed contra primo: licet ad comprehensionem requiratur, ut cognitio sit certa & evidens (nam quod incerto vel invidenter cognoscitur, latet aliquo modo, & non omnino apparet sicut est: Unde ad Hebr. 11. vers. 1. fides dicitur esse argumentum non apparentium) licet etiam requiratur tanta intensio virtualis aut formalis, quanta est necessaria, ut distincte & adaequate cognoscatur tota amplitudo tam intensiva, quam extensiva obiecti, ita ut nihil illius lateat cognoscentem: maior tamen intensio, si ad hoc non est necessaria, est plane superflua & impertinens ad rationem comprehensionis. Quia propter illam nihil amplius obiecti cognoscitur, sed idem penitus. Ergo obiectum non magis comprehenditur, secundo, comprehendit cognitione, est obiectum ita cognosci, ut nihil eius lateat cognoscentem ut docent SS. Patres, & hoc tantum postulat analogia comprehensionis mentalis cum corporali. Ergo qui ita cognoscit, ut nihil eius lateat, comprehendit, quantumvis non cognoscat cognitione summe intensae. Tertio, sequeretur Deum non magis esse incomprehensibilem a creatura, quam formicam. Nam sicut data quacunque Dei cognitione creata, est dare perfectiorem, scilicet increatam: ita data quacunque formicae cognitione creata, est dare perfectiorem, scilicet increatam. Atqui de Deo specialiter Scripturae & Concilia praedicant, quod sit incomprehensibilis. Quarto, sicut impertinens est ad comprehensionem corporalem, quod vas comprehendens liquorem aliquem, id est, totum illum continens, sit vitreum vel stanneum, argenteum vel aureum: aequum enim totum liquorem comprehendit, dummodo totum capiat, ita ut nihil liquoris sit extra; & caelum Planetarum non minus comprehenditur firmamento, quam firmamentum caelo empyreo longe nobiliori: Ita non minus comprehenditur obiectum a cognitione quavis non summe perfecta, ut est

divina, dummodo totum obiectum capiat, ita ut nihil eam lateat.

Secundo, aberrant ab eodem conceptu Arrubal disput. 23. cap. 3. & 4. Valentin. Herice disput. 4. num. 25. & 26. & alij qui requirunt ad comprehensionem, ut res cognoscatur quantum est cognoscibilis, non solum secundum illa omnia quae formaliter aut virtute sunt in ipsa: sed etiam ex parte cognitionis tam intense cognoscatur, quam postulat ipsius rei intelligibilitas, ac proinde intensius, pro ratione maioris perfectionis intelligibilitatis ipsius. Nam, inquit, res qualibet non solum ex se est intelligibilis secundum quidditatem, & secundum omnia quae formaliter aut virtute sunt in ipsius quidditate: sed etiam est intelligibilis, per se loquendo, certa quadam intentione. Ergo si non cognoscatur cum tanta intentione, non cognoscitur adaequate quantum est cognoscibilis: adeoque non comprehenditur. Haec Arrubal: cuius opinio in eo differt a priori opinione Nominalium, quod non requirit summam intentionem, & perfectionem cognitionis partem divinam: sed certam quandam, maiorem aut minorem, pro maiori vel minori perfectione obiecti.

Sed refutatur, quia obiectum, formaliter ut obiectum cognoscibile, postulat tantum eos gradus cognitionis, qui necessarii sunt ut cognoscatur totum quantum est, ita ut nihil eius lateat vltimo modo cognoscentem. Et hoc ipsum est attingere totam ipsius intelligibilitatem seu cognoscibilitatem, id est, cognoscere quicquid in illo est cognoscibile. Ergo non postulat cognitionem intensam ut octo, si per cognitionem intensam ut quatuor cognoscitur quicquid in illo est cognoscibile: ita ut per cognitionem ut octo, non plus obiective cognoscatur, quam per cognitionem perfectam ut quatuor.

Eodem argumento refutantur tertio Moderni quidam, asserentes ad comprehensionem formaliter requiri, ut in subiecto cognoscente sit talis modus seu perfectio essendi, qualis est in obiecto: ut refert Fazolus supra nu. 8. Unde inferunt, quod etiam si daretur alicui creaturae notitia Dei adaequata obiecto, quatenus cognoscit quicquid in illo & de illo est cognoscibile, non intensius quam extensivum: non foret tamen comprehensio, quia deesse illi perfectio obiecti, & perfectio notitiae quam Deus habet de seipso. Quia nimirum Dei notitia est ipse Deus. Notitia vero illius creaturae non esset Deus. Refutatur inquam, quia perfectio illa est impertinens ad comprehensionem, si sine illa obiectum integre cognoscitur & adaequate, ita ut nihil plane illius sit extra cognitionem. Nihil enim aliud requirit comprehensionem mentalis iuxta sensum Sanctorum Patrum, & analogiam cum corporali comprehensione, ad quam prorsus impertinens est, quod comprehendens sit eiusdem perfectionis cur. comprehendit. Nam aequum comprehenditur

De Salas.
Albertin.
Fazolus.
39.
Ad comprehensionem non requiritur, ut cognitio intensissima & perfectissima.

40
Arrubal.
Herice.

41
Sufficit ad comprehensionem ut obiectum cognoscatur quantum est cognoscibile ex parte sui.

42.
Ad comprehensionem non requiritur ut comprehendens sit eiusdem perfectionis cum comprehenso.

Sphæra aurea thecâ argenteâ vel ligneâ, quàm thecâ aureâ & eiusdem perfectionis: dummodo tota includatur intra thecam argenteam vel ligneam. Neque cognitio aut cognoscens, quod est perfectius in entitate substantiali, melius cognoscit; si non melius percipit obiectum. Ex. gr. quamvis homo sit perfectior aquilâ, & visio hominis (quæ ex parte saltè est attentio animæ rationalis) sit perfectior visione aquilæ: non propterea videt homo melius solem: sed potius aquilâ videt melius & perfectius, ex communi omnium iudicio.

SECTIO VI.

Probat, Deum non comprehendî à Beatis.

43. **H**is præmissis de vero conceptu & definitione comprehensionis, concludendum est Deum neque comprehendî à Beatis, neque ab vlla creatura existente vel possibili comprehendî posse. Secundum membrum conclusionis probabitur sect. sequenti. Primum verò traditur ab omnibus Theologis, nemine contradicente in terminis, quamvis non nisi per abusum vocis aliqui id affirmant. Probat, autem primò ex Scriptura 1. Corinth. 2. v. 11. vbi Spiritui Dei tanquam proprii & singulare tribuitur, quòd omnia scrutetur, etiam profunda Dei. Ac sicut nullus hominum nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei. Probat, secundò Sanctis Patribus, Augustino, Hilar. Chrysof. & alijs supra citatis, qui in eundem sensum exponunt Pauli verba modò relata; vt & illud Rom. 11. *O altitudo diuinarum sapientia & scientia Dei! Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini &c. & Ieremiæ 32. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Et Iob. 11. Forsitã eius vestigia cõprehendes, & vsque ad perfectũ omnipotentẽ reperies? Quæ verba exponens S. Gregor. lib. 10. Moral. capite 7. disertè ait, Deum nã à Beatis quidem esse comprehendibilem. Ad idem probandum adduci solet Concil. Basileense sess. 22. Sed præteream quòd a definitione huius Concilij carè auctoritate; ibi locum damnat Hieron. in Archiepiscopi Nazaren. *Anima Christi videt Deum tam clarè & intensè, quantum latere & intensè Deus videt seipsum.* Quod tamen iuxta supradicta, talia comprehensione propriè accepta damnari potest.*

44. Tertiò, ad idem confirmandum hanc rationem adducit, S. Thom. quæst. 12. art. 7. *Unde comprehenditur, quod perfectè cognoscitur, id est quantum cognoscibile est, Deus autè, cum sit infinitus, est infinite cognoscibilis: & non potest infinite cognosci à Beatis, quia Beati eò magis aut minus Deum videt, quò plus aut minus habet luminis gloriæ: atque non habent infinitum lumen gloriæ: ergo*

nò vident infinite: Ergo nò quantum visibili & cognoscibilis est. Quæ ratio concludit efficaciter id quod solùm in præfati sect. probandum suscepimus, Deum scilicet non cõprehendi reipta à Beatis: supposito, quod verissimum est, nullum Beatorum habere lumen gloriæ infinitum, vel auxilium illi æquiualens.

Obijciunt primò, Beatos in Scriptura vocari comprehensores, & beatitudinem ipsam vocari comprehensionem. Respondeo, vocari comprehensionem alio sensu, quàm eo de quo nunc disputamus, id est, cõsecutionem finis, respondentem insecutioni, & tendentiæ huius vitæ, seu vitæ ad assequendam Beatitudinem: iuxta illud Pauli, *Sequitur autem si quo modo comprehendam, Philipp. 3. & Sic currite vt comprehendatis, 1. Corinth. 9.* id est, vt brauium vitæ æternæ consequamini: iuxta illud quod paulò ante dixerat: *Omnis quidem in stadio currunt, sed vnus accipit brauium.*

Obijciuntur secundo aliqua Patrũ testimonia, quæ videntur asserere animam Christi comprehendere Deum. Cuiusmodi est illud Hieronymi morientis, relatum ab Eusebio in epist. ad Damasum de eius morte: *Tua anima statim cum vnica inseparabiliter fuit diuinitati, omnia perfectè sciuit, & potuit quæ ipsa scit & potest.* Et illud Isidori lib. 1. senten. cap. 3. *Sola sibi integrè nota est Trinitas, & humanitati suscepta.* Item quod ait Fulgent. ad Ferrandum Diaconum, in responsione ad tertiam questionem: *Omnibus filijs adoptiuis, partem sapientiæ diuinitatis indulgeri: animæ verò Christi potius diuinitatis inesse notitiam.*

Respondet primò, illam epistolam esse suppositiciam, vt & alias quasdam S. Augustino falsò tributas de morte eiusdem Hieronymi: quæ de re vide Bellarminum in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. in Hieronymo, sub finem. Secundo, Hieronymum potuisse id dicere per communicationem idiomatum: quo etiam sensu Fulgent. intelligendus est. Quanquam ibi non assertiue loquitur, sed dubitanter: cuius tamen distinctio sensui Patrum communi postponi debet. Isidori verò locus corruptè refertur. Sic enim habet in emendatis codicibus: *Sola enim sibi integrè nota est Trinitas, & humanitas à Christo suscepta: quæ est tertia in Trinitate Persona, id est, mysterium Incarnationis, siue assumptionis humanitatis à Verbo: per quam vna de tribus personis diuinis facta est homo.*

Obijciunt tertio, Deum esse entitatem simplicissimam. Ergo non potest videri quin videatur totus & totaliter, & quantum visibilis ac cognoscibilis est ex parte obiecti, ita denique vt nihil intellectum videntem lateat, quod est comprehendî. Cum enim sit indiuisibilis; non potest videri & cognosci secundum partem, & secundum partem latere. Respondeo non esse necesse vt quod in se videtur, licet simplex, videatur omnino & æqualiter quantum visibile est: potest enim videntem latere aliquatenus amplitudo virtualis rei visæ. Quod in Deo maximè

Beati C. sensu dicuntur comprehensiones?

45.

Hieron.

Isidor.

Fulgent.

46.

Deus quia si indistinctus est videtur in ad quod



locum habet, cuius amplitudo virtualis est infinita simpliciter in genere entis: eaque de causa Deus non comprehenditur visione finita, quia non videtur quantum est visibilis. Et quemadmodum ille qui albedinem videt, non ideo videt dependentiam eius à Deo, licet in re indistinctam; nec dependentiam à subiecto, aut unionem cum illo, tamen si aliquam saltem ab ipsa non distinguitur necessarium est, ut ostendemus disputando de modis: ita non est necesse, ut qui Dei entitatem licet simplicissimam vident, videant adæquatè, ita ut nulla eius ratio lateat. Et quidem eos omnes qui finitè tantum vident, necessariò later aliquo rationum extensivè, tum intensivè. Nam actualis infinitas velut extensiva, & multitudo virtualis attributorum, non potest tota distinctè cognoscere adæquatè, visione finita: neque ad illam infinitudo immensitatis, æternitatis, cognitionis, amoris, omnipotentia. Item neque intensio infinita attributorum divinatorum, virtualis quidem quoad distinctionem graduum; sed alioqui actualis, quatenus tota simul. Atque in hunc modum explicandi Dei incomprehensibilitatem consentiunt omnino, vel magis ex parte Victoria, De Salas, Suares, Molina, Fazolus, & Albertinus læcis super. secte citatis. Consentiant etiam sancti Patres & Scriptura, locis biblicis, & paulò ante relatis, cum affirmant Deum non comprehendere à Beatis, vel à creaturis, quia non scrutantur profunda Dei, neque cognoscunt omnia quæ Dei sunt, 1. Corin. 2. & inscrutabilia illis esse Dei iudicia, quia non capiunt sensum Dei, 1. Rom. 11. Quia Angeli nesciunt, At Angeli non audierunt &c. ut ait Hilarius: Quia non cognoscunt Deum perfectè, ut est, inquit Primasius? Quia tantam celsitudinem, totamque Dei plenitudinem & magnitudinem non penetrant, ut ait August. Gregor. Magn. Beda, & Antelmus: Quia non omnia eius scrutantur, neque omnia consilia & decreta libera, ut ait Cyril. Hierosol. & Chrysost. Quia denique late in tenebris ex parte, & non videtur distinctè quatenus omnia continentur, ut aiunt Gregor. Nazian. & Theodoretus, verbis suprâ relatis num. 36. & 37.

47. Dupliciter autem possunt Beati Deum cognoscere inadæquatè. Primò, notitiâ absolute, attingente Deum secundum ea quæ sunt in ipso formaliter, absolute considerata, id est, sine habitudine ad creaturas, vel connexionem cum illis. Secundò, notitiâ comparatiâ, id est, attingente Deum secundum habitudinem aut connexionem cum creaturis, siue existentibus, siue tantum possibilibus. Nempe Deum videndo prout est scientia, seu idea, vel amor possibilem: vel prout est omnipotentia seu virtus ad ea producenda; vel prout nouit contingenter, & vult liberè ea quæ existunt extra se in quacumque temporis differentia.

48. Priori modo vident Deum Beati inadæquatè: qui non vident distinctè & perfectè quicquid Deus est in seipso, formaliter & ab-

soluè in seipso.

soluè, id est, sine respectu ad creaturas. Neque enim vident adæquatè & distinctè diffusionem immensitatis diuinæ, quæ infinita est vndequaque. Neque diffusionem æternitatis, seu durationis diuinæ carentis principio & fine. Neque notitiam quam Deus habet de seipso, aut amorem quo se amat perfectissimè, qui actus sunt infinitæ perfectionis, etiam formaliter & præcisè sumpti: æquivalent enim, ac supereminet, secundum arithmeticam proportionem virtuali sua intentione infinitis actibus, per quos creatura possent Deum videre vel amare perfectius in infinitum. Cum enim potentia videndi Beatorum sit finita, & lumen gloriæ finitum, & consequenter actus videndi finitus; non possunt hæc omnia, ac ne singula quidem, videre distinctè & adæquatè: quia actus finitus non potest adæquare obiecto infinito, id est, tantum se extendere, quanta est obiecti amplitudo, quæ infinita est. Quicquid enim æquiualeat infinito, aut illud adæquat; est infinitum, quatenus illud adæquat: cum euidenter impossibile sit finitum esse æquale infinito. Nec obest, quod Beati totum Deum vident, ac sicuti est. Vident enim totum idealitè, sed non ita ut illis distinctè appareat quantum est. Sicut nos oculis corporeis totum Solem videmus, sed non ita ut nobis appareat quantum est, & quam splendidus apparet, si haberemus oculos acutiores, aut si propè ad solem accederemus. Et qui obtusum habent olfactum aut gustum, percipiunt quidem totum odorem aut saporem: Sed non ita ut discernant quantum sit, tantusque illis appareat, quantum illis qui huiusmodi sensus habent viuiores. Neque enim existimandum est partes tantum aliquas Solis à nobis videri: aut gradum aliquem odoris, vel saporis, sentiri ab ipsis qui olfactus & gustus sensum obtusum habent. Cum enim omnes partes Solis sine æquè oculis præsententur, & omnes gradus saporis vel odoris, sensui gustus aut olfactus: omnes æquè sensum mouent ad sui perceptionem, & consequenter omnes percipiuntur. Nulla enim est ratio cur vna pars percipiatur, potius quam alia æquè applicata. Et alioquin detracta illa parte Solis, sol quamuis multò minor in se ipso, tantus quatenus nobis apparet, quantum sufficiens apparet: & odor, ut dixi, tantus sentiretur, tantumque afficeret olfactum obtusum; quantum illi illum afficit odor ut sex: quod est contra experientiam.

49. Sicut autem cognitio sensuum externorum, quæ absoluta est, potest esse inadæquata obiecto, quod tamen attingit indiuisibiliter totum; ita ut inadæquatio non in eo consistat, quod vna eius pars sentitur, & non alia. Sed in eo quod totum sentitur, non tamen distinctè, adeo ut non clarè appareat quantum est, & quantum melius sentienti apparere potest: Si obiectum spirituale & indiuisibile, ut Deus, potest distinctè notitiâ inadæquata, cui non appareat quantum est

SECTIO VII.

Ostenditur Deum esse incomprehensibilem cuiusque creatura possibili.

Communissima sententia Theologorum est, Deum non modo non comprehendi à Beatis, sed neque ab illis comprehendi posse, neque ab ulla creatura possibili quocumque auxilio supernaturali adiuta. Probatur primò ex Scriptura, iunctà communi Patrum expositione, à qua recedere non licet, iuxta Trident. sess. 4. in decreto 2. §. *Præterea*, & definitionem Synodi V. Generalis, relatae & approbatam à Lateran. sub Martino I. confulat. 5. Sic enim exponunt idem Scripturæ loca, Ieremiæ 32. *Magnus conspectus incomprehensibilis cogitatur. Rom. 11. O altitudo divinitiarum sapientia & scientia Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei, &c.* Ex quo inferunt Spiritum Sanctum esse Deum, quia omnia, etiam Dei profunda, scrutatur: nimirum quia illud omni creaturæ, & alteri quàm ipsi Deo est impossibile.

Probatur secundò d'ertis Sanctorum Patrum testimonijs, affirmantibus Deum non posse comprehendi à Beatis, quia creaturæ sunt. Quæ ratio communis est quibusvis alijs naturis creabilibus. Nulla enim est possibilis quæ non sit creaturæ. Ita S. Gregor. Magn. lib. 10. Moral. cap. 7. initio, *Angelica, non quæ, vel... magna mens, cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso quo est creatura, coangustatur; id est, contractius & imperfectè videt, ut supra diximus de Sole. Et super se quidem per se, etiam tendit; sed tamen eius algorem comprehendere nec dilatata sufficit, qui & transcendendo, & portando omnia, & implendo concludit.* Et in fine lib. 18. *Innè quippe disparilitate videt creator se, quam videt creaturæ creatorem: Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modis figuræ contemplationis: quia eo ipso non esse circumscriptum, quo creatura sumus.* Et Chrysof. hom. 28. & 29. quæ sunt tertia & quarta contra Anomæos, hęc probat Deum esse omni creaturæ incomprehensibilem & inuisibilem visione comprehensivæ. De eademque sic loquitur Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 22. paulò post initium, *Soli enim consubstantiali Filio Pater visibilis est, & nulli præter eum alij. Visionem autem in his Deo convenientem semper intelligas, id est, perfectam & adæquatam obiecti dignitati.* Et Basilij lib. 4. contra Eunomium, mulò post medium; *Ego verò arbiteror non homines solum, sed etiam omnem rationalem naturam, ipsius comprehensionem excedere.* Quæ Basilij verba debent intelligi de natura rationali non solum existente, sed etiam possibili. Nam ratio quæ subiungit, probat de omni etiam possibili. Nimirum quia Dei proprium est singulariter posse seipsum comprehendere. *Nemo enim novit Patrem nisi Filius. Et Spiritus omnia scru-*

52.
Deus est incomprehensibilis omni creaturæ, etiam possibili.

Trident.

Lateran.

53.

Gregor.

Chrysof.

Cyillus;

Basil.

virtualiter, id est, quàm est perfectum. Quòd enim sit indivisibile seu carens partibus, est impertinens ad hanc inadæquationem, quæ nõ in eo consistit, quòd vna pars videatur, nõ alia: sed quòd vnum & idem secundum se totum videatur magis & minùs, neque tantum appareat quantum est. Si autem potest vnum & idem divisibile, videri magis & minùs secundum idem: potest & indivisibile. Quia difficultas tota est in identitate obiecti inæqualiter percepti: quæ identitas non est maior in vno, quàm in alio. Tam enim divisibile est idem sibi ipsi, quàm indivisibile. Neque potest quicquam distinguì à se ipso.

50.
Secundò respectu, in ordine ad creaturas.

Posteriori modo vident Beati Deum inadæquatè, quia non vident omnia decreta Dei libera, neque omnes notitias Dei contingentes, neque infinitas habitudines potentia, voluntatis, & scientiæ diuinæ ad possibilia infinita, quòd tamen ad notitiam Dei adæquatam & comprehensionem necessariam esset. Nam qui non novit Deum distinctè, prout est cognitio possibilium, & in particulari talis, aut talis possibilis; aut prout est volitio efficax talis effectus contingentis; non minùs ignorat Deum habere talem cognitionem, aut volitionem, formaliter, quàm si Deus illam non haberet. Ergo non cognoscit quicquid in Deo cognosci potest, omni ratione intrinseca & obiectiva, secundum quam cognosci potest, & secundum quam re ipsa Deus se cognoscit. Ergo aliquid eum latet, ac proinde non comprehendit, neque cognoscit adæquatè secundum omnem rationem obiectivam cognoscibilem; ita ut nihil novi amplius possit de illo cognoscere.

51.
Vtrumque modum inadæquationis agnoscunt SS. Patres.

Porro vtrumque modum inadæquationis in visione Beatorum agnoscunt sancti Patres supra relati num. 36. & 37. Comparativum quidem, quando dicunt Beatos non videre omnia Dei consilia, ut aiunt Cyrillus Hierosol. & Chrysofostomus: absolutum verò, cum affirmant Beatos non videre Deum quantum est: non capere totam eius plenitudinem & magnitudinem, ut Augustinus, Gregorius Magnus, Beda, Anselmus, & Primasius: qui postremus speciatim vititur comparatione Solis inæqualiter visi absolute ab ijs qui oculos minùs aut magis acutos habent. Cui comparationi frustra opponit Fasolus q. 12. a. 7. n. 29. *Prout videtur à Beatis sine vllò impedimento. Ac verò nimiam distantiam inter nos & Solem esse impedimentum, non possimus intueri Solem distinctè, quātus & quàm splendidus est; sed confusè ut contractorem, & minùs lucidum quàm tueri sit in se ipso.* Respondeo enim id non tantum oriri ex distantia, sed ex imperfectione potentia visionis, quæ non potest videre melius ex tanta distantia. At Beati sunt a quò impotentes ad Deum absolute videndum quantum est. Neque propterea decipiuntur. Nam evidenter sciunt, per ipsam visionem beatificam, Deum esse infinite maiorem, quàm ipsi perfectè & distinctè capere valeant.

Fasolus.

tatur, etiam profunditatem Dei. Quid igitur eximium cognitioni unigeniti aut Spiritus sancti relinquunt? *Spiculis enim ipsi essentia ipsius comprehensionem habent.* Et denique August. serm. 38. de verbis Domini, *Si comprehendis, inquit, non est Deus, &c. Attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est. Comprehendere autem, omnino impossibile:* Alteri scilicet, quam sibi ipsi.

August.

54.

Lateran.

Probatur tertio ex Concil. Lateran. cap. Firmior, de summa Trinit. ubi simpliciter tanquam de fide asserit Deum esse aeternum, immensum, incommutabilem, incomprehensibilem, & ineffabilem. Vbi nota primò Concilium sine dubio asserere Deum esse incomprehensibilem, eo sensu quo Sancti Patres intellexerunt, tum exponendo Scripturæ loca de Dei incomprehensibilitate: tum de eadem disputando contra Anomaos, vel asiter eam explicando. Nam Concilia Oecumenica in suis definitionibus sequuntur Patrum & Scripturæ doctrinam, quam eo sensu prius diligenter inquirere & expendere solent. Atqui, ut supra vidimus, Sancti Patres intellexerunt Deum esse incomprehensibilem, respectu etiam cuiuscunque creaturæ possibilis, quantumvis per gratiam adiutæ. Nota secundò cum Suarez, Concilium eodem tenore verborum asserere Deum esse incommutabilem, & esse incomprehensibilem. Atqui tam absolute est immutabilis, ut à nullo alio mutari possit. Ergo tam est incomprehensibilis, ut à nullo alio comprehendi possit. Cui considerationi frustra opponit Vasquez. *disp. 52. cap. 3. num. 10. & Marra eum secutus disp. 20. sect. 3. Concilium quoque eodem tenore verborum dicere ibidem Deum esse ineffabilem: Et tamen non est ineffabilis creaturæ per gratiam: nam Beati ipsum effantur per verbum mentis. Item ex ea comparatione sequeretur quòd sicut Deus est absolute incommutabilis, etiam à seipso: esset quoque incomprehensibilis à se ipso. Ad primum enim Respondeo, Deum esse quoque Beatis ineffabilem, quatenus nullum, potest exprimere verbum mentis aut oris, quod adæquate & comprehensivè ipsum vllj creaturæ significet. Ad secundum dico Deum esse absolute incomprehensibilem, æquè ac immutabilem, eo sensu, & eo modo, qui facit ad Dei perfectionem. Nam sine dubio Concilium intendit Dei perfectionem per huiusmodi attributa commendare. Non faceret autem ad Dei perfectionem quòd à seipso mutari posset: sed potius summa eius perfectio, & essendi necessitas, ac sufficientia, postulat ut ne à se quidem mutari possit. Contra verò non faceret ad Dei perfectionem quòd à seipso non posset comprehendi: sed potius infinita eius intelligentia, & summa feclicitas postulat, ut se cognoscat adæquate, seque toto fruatur plenissimè per cognitionem & amorem. Facit verò ad Dei maiestatem quòd tanta sit, ut à nulla creatura possibili possit circumscribi cognitione. Ac sicut infinita eius perfectio non potest ab vlla crea-*

Vasquez
Marra.

tura participari adæquate, quantum est participabilis: ita neque cognosci adæquate quantum est cognoscibilis.

Atque hæc est ratio præcipua huius incomprehensibilitatis respectu creaturæ. Infinitudo scilicet omnimoda, & supereminentia diuinæ maiestatis, quæ tanta est, ut notitiæ cuiuslibet creaturæ limitibus contineri tota non possit: iuxta illud Theophili Antiocheni: *Nec magnitudo eius comprehenditur, nec altitudo valet capi &c.* Et illud August. serm. 190. de tempore: *Hoc est Deus quod cum dicitur, non potest dici; cum estimatur, non potest estimari; cum comparatur, non potest comparari; cum desinitur, ipsa definitione crescit &c.* Quibus consonat Minutius Felix in Octavo cum ait, Deum esse incomprehensibilem, quia infinitus omnimodè & immensus. Vnde *Sibi soli, quantus est, notus est.*

55.

Cur Deus
incompre-
hensibilis?

Theophil.

August.

Minut.

56.

Suarez.

Addit Suarez lib. 2. de attributis cap. 5. n. 8. rationem hanc: quia nullus intellectus creatus, quantumvis eleuetur, potest accipere intelligendi vim simpliciter infinitam, sed creaturæ & finitæ simpliciter, quæ proinde erit perfectioris & repræsentationis simpliciter finitæ: ergo, inquit, impossibile est ut comprehendat rem intelligibilem simpliciter infinitam. Quia comprehensio requirit quandam adæquationem inter capacitatem intelligentiæ, intelligentiæ, & intelligibile: quam adæquationem impossibile est interuenire inter finitum simpliciter & infinitum. Cui rationi opponi potest, quòd ne visio quidem Dei, quæ se ipse comprehendit, præcisè sumpta, prout ratione distinguitur ab alijs attributis, est attributum simpliciter infinitum in omni genere entis; sed in suo tantum: quòd inter comprehensionem & comprehensionem requiritur quidè adæquatio in repræsentando, sed non in essendo. Neque est necesse ut quòd repræsentat intentionaliter, sit eiusdem rationis & perfectioris cum repræsentato. Sed nihilominus ratio prædicta bene intellecta efficax est: potestque clariùs & plenius hoc modo proponi. Nimirum, quia impossibile est Deum ab vllò comprehendi, qui non sit parus cum Deo intelligentiæ, id est, cuius intelligentiæ & cognitio non tantum se extendat, quantum ipsa Dei intelligentiæ, & actualis cognitio. Debet enim adæquate cognoscere ipsam Deum intelligentiæ, & consequenter ea omnia quorum est intellectio. Atqui impossibilis est creatura quæ sit parus intelligentiæ cum Deo: ergo impossibilis est creatura quæ Deum comprehendat. Minor probatur, quia impossibilis est creatura quæ sit Deo par in omnibus perfectionibus, excepta vnica independentiâ. Atqui talis creatura estet huiusmodi: ergo talis creatura est impossibilis. Maior patet; quia si esset par in omnibus alijs perfectionibus, esset quoque independens: tum quæ independentiâ sequitur necessariò ex intelligentiâ, bonitate, potentia, tantà denique essendi perfectione, quæ sibi ipsi sufficientis est ut existat, existitque necessariò à seipso, id est

Probatu-
ratione ef-
ficaci, Deum
non posse
compre-
hendi ab
vlla crea-
tura possi-
bili.Impossibile
est dari
Creaturam
Deo param
in omni-
bus, exce-
pta indepen-
dentia.

ex summa essendi necessitate & felicitate. Tum etiam quia sicut impossibile est esse v. g. duos ignes pares in omnibus alijs perfectionibus, quorum tamen vnus pendeat ab alio in suo esse: alter verò sit independens & à se: ita euidenter est impossibile, esse aliquid Deo par in omnibus alijs perfectionibus, & tantum in eo differens & impar, quod istud pendeat à Deo, Deus verò sit à se.

57. *Creatura Deo par in intelligentia, esset par in alijs.* Minor autem probatur: quia si creatura illa esset Deo par in nobilissimo Dei attributo, quod est intelligentia & sapientia infinita: esset quoque par in bonitate, omnipotentia, & alijs quæ in intelligentia, veluti radice, fundantur virtualiter seu metaphysicè. Voluntas enim subordinatur intellectui, & omnipotentia voluntati. Et similiter perfectiones aut operationes & actus secundorum attributorum, subordinantur actuali intelligentiæ. Posita verò æqualitate in his tribus attributis maximis & præstantissimis, si ne ratione assereretur non esse actu, aut de potentia absoluta non posse esse æqualitatem in alijs attributis; siue modalibus, vt sunt immensitas & æternitas: siue non modalibus per se formaliter non maioribus tribus prædictis, imò secundum præcisum conceptum minus perfectis, vt ostendimus disp. 3. Quare si dari posset creatura par Deo in intelligentia: posset dari par in omnibus alijs perfectionibus.

58. *De fide est Deum esse incomprehensibilem omni creatura.* Superest querere an sit de fide Deum esse incomprehensibilem omni creaturæ, etiam possibili? Respondeo affirmatiuè cum communi sententia Theologorum, contra Vasq. disp. 2. cap. 2. & Marat. disp. 20. sect. 2. vbi ait temerarium quidem esse negare Deum esse incomprehensibilem omni creaturæ possibili, propter vniuersim Scholasticorum consensum: imò etiam id esse de fide, sumendo comprehensionem improprie, sicut à quibusdam sumitur, pro cognitione quæ essentiali perfectione adæquat obiecto. Item etiam esse de fide, quod non possit comprehendere à viatoribus: Sed non esse de fide Deum esse incomprehensibilem à Beatis per gratiam, in sensu proprio, & à Theologis vniuersim intelto. Ex quo sequitur, multò minus esse de fide, quod sit incomprehensibilis respectu cuiuscunque creaturæ possibilis, quibuscumque gratiæ auxilijs adiuris. Atque Vasquez est contra Scripturæ & Patrum testimonia possunt sufficienter explicari de creaturis secundum propriam virtutem naturalem consideratis, vt conatur ostenderi eodem capite & duobus sequentibus.

59. *Gregorius, Cyrillus, Damascenus.* Verum & ipse testimoijs paucis responderet, ommissis multis illustrioribus quæ nos supra citauimus: & vt legenti manifestum erit, non satisfacit Patrum autoritatibus, quas nimis violenter exponit. Præsertim Gregorij Magni lib. 10. Moral. cap. 7. & lib. 18. cap. 28. Augustini lib. 3. de cognit. vera vitæ cap. 3. Cyrilli Catechesi 6. Damasceni lib. 1. de fide, cap. 1. & 4. Specialem verò quod respondet nom. 18. Augusti-

num lib. 4. de Genesi ad literam cap. 6. in fine, aientem Nobis, quamuis essent Angelis aequales, non utique ita fore nota diuinam substantiam: sicut ipsa est sibi; id intelligere, quia vt exponit Fulgent. in lib. resp. ad Ferrand. q. 3. post medium, Ipsa Diuinitas sic se nouit, vt inueniat se esse quod nouit: anima verò ita nouit Deitatem, vt Deitas non sit. Hoc, inquam, à mente D. Augustini alienum est. Nam eius intentio est asserere, non minus perfectè Deum visuros, quam ipse se videat. Atqui non minus perfectè Deus Angelum videt, quam Angelus seipsum: tamen Deus videns Angelum, non inueniat se esse quod videt: Angelus autem videns seipsum, sic id ipsum quod videt. Quare si non alia esset differentia inter visionem nostram, & diuinam: non minus perfectè eum videremus, quam se ipse videat. Maratij quoque responsio ad locum Cyrilli Catech. 6. repugnat eius verbis proximè sequentibus, quæ ipse prætermisit: Solus Spiritus sanctus, vt oportet, videt: ipse enim scrutatur omnia profunda Dei. Porro fundamentum quo nixi Patres, tam certò, tamque communi consensu asseruerunt Deum esse absolute incomprehensibilem cuiuslibet creaturæ, fuit sine dubio Scriptura sacra ijs in locis, in quibus loquitur de Dei incomprehensibilitate: quorum locorum verus sensus, ex communi doctrina Patrum accipiendus est: ab illoque recedere in Scriptura expositione prohibet Trident. sess. 4. decret. 2. §. Præterea. Definitio quoque Concilij Lateran. in cap. Firmiter, de summa Trinitate, & de Catholica, asserens tanquam de fide Deum esse æternum, immensum, incommutabilem, & incomprehensibilem, sine dubio in proprio sensu intelligenda est: non autem de comprehensione improprie & abusiue sumpta, vt vult Vasquez. Ita vt Deus non sit minus proprie incomprehensibilis, quam æternus, immensus, & incommutabilis. Item, vt supra monui, Concilium sine dubio ita definiuit, sumendo comprehensionem & incomprehensibilitatem, in eo sensu quo usurpantur à sanctis Patribus asseruitque tanquam de fide Deum esse incomprehensibilem, eodem sensu quo ipsi communiter id assererant, hoc est, etià à Beatis, & à quacunque creatura possibili. Atque vt patet ex capite sequenti Damasceni, ante medium, id omnino intellexit iuxta mentem Magistrum & Scholasticorum Theologorum, quorum, vt fatetur Vasquez, vniuersim sententia est, Deum ne per gratiam quidem comprehendere posse à Beatis, vel ab vlla creatura possibili. Nam Concilium ibi sic loquitur: *Credimus & confitemur cum Patre* (intelligit Lombardum, Magistrum sententiarum, cuius doctrinam tuetur contra errores Abbatum Ioachim, vt patet ex initio capituli) *quod vna quadam res est incomprehensibilis gratiæ, & ineffabilis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus &c.* Quare concludo cum communi sententia, rem esse satis à Concilio Lateranensi definitam.

ARTINO
NEUS
VI

SECTIO VIII.

An huiusmodi vident Deum, necessario totaliter aut aequaliter videant?

60.

Conclusio: Non est necesse ut qui Deum vident, ipsum videant totaliter, aut aequaliter omnes, aut eadem specie visionis. Declaratur, & confirmatur. Primum, non est hic sermo quid de facto in Beatis sit, siue ratione Beatitudinis essentialis, siue a funde: neque quid necesse sit secundum statum Beatitudinis, aut iuxta legem ordinariam quam Deus se videndum communicare decreuit: de hoc enim alibi, cum de Beatitudine. Sed sermo est, de absoluta necessitate, & de possibilitate ipsi opposita: an scilicet absolute possibile sit ut Deus partialiter & inadæquate videatur? Secundò, aliud est videre totaliter: & aliud, comprehendere. Nam ad comprehensionem non requiritur tantum ut videatur Deus quantum visibilis est: sed, quod est amplius, ut cognoscatur quantum cognoscibilis est, siue ita, ut nihil illius videntem lateat illo modo, nihilque noui de Deo addicendum superfit. Tertio, quod inæqualitas visionum circa Deum sit possibilis, & quod alia maior, alia minor esse possit, docet S. Thom. q. 12. a. 6. & cum illo omnes Catholici, qui de facto sic esse asserunt, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 16. *Sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Et 2. ad Corinth. 9. *Qui parat, seminatur, faceret & metet.* Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Si vis perfectus esse, vade &c. & habebit thesaurum in celo, id est, gloriam multo maiorem & abundantiorum.* Quæ loca & similia in hunc sensum intelligunt Sancti Patres citati à Suarez lib. 2. de attribut. cap. 20. num. 4. & Concilium Florent. item definit expressè in literis vnionis ad Armenos: Nec obest parabola de tenario diurno, nouissimis æquè ac primis dato, Matth. 20. Tantum enim significat, quod reddenda sit merces non modo pro laboris quantitate vel duratione, sed & pro qualitate: Quia quorundam labor, etsi breuior, gratior est ob maiorem charitatem, & ob materiæ præstantiam, vel intentionem & feruorem. Quod autem ait Paterfamilias, *Volo huic nouissimo dare sicus & tibi.* An non licet mihi quod volo facere? quæsioret non meram voluntatem, quasi Deus in retributione non respiciat vllam rationem; sed ostendit quod Deus sua libera voluntate decreuerit dare mercedem, non pro solo labore materiali; sed & pro qualitate & modo operandi; vel quod Deus non simpliciter obligetur ad inæqualitè tribuendum inæqualiter laborantibus: potest enim vni ex gratia & mera liberalitate tribuere, quod alteri tribuit propter meritum. Neque fuit necesse ut paterfamilias consilij sui rationem, aut facti, clarius exponeret vili operario: sed potius

Aliud est videre totaliter, & aliud comprehendere.

Beati Deum vident inæqualiter.

Suarez, Florent.

personæ suæ decorum seruans, significauit, illi satis esse debere ad hoc, vel solam voluntatem suam, neque iustam conquerendi causam esse posse.

Difficultas verò non leuis est, vnde oriatur differentia visionis maioris vel minoris? Vtrum à solo lumine gloriæ, ita ut qui habent æquale lumen, æqualiter videant; & magis, qui maius? An etiam ab intellectu ipso, ita ut qui perfectiorem intellectum habent, magis & perfectius videant, quam alij qui tamen æquali lumine sint instructi?

Respondeo, primum ex dictis non repugnare licet de facto non ita fieri probabilius sit. Prima pars responsi est Lessij lib. 2. de summo bono cap. 8. num. 57. vbi pro eadem citat Scotum, Ricardum, Durandum, Paludanum, Maiorem, & supplementum Gabrielis; Molinæ ad quæst. 12. art. 6. disp. 2. Caiet. 3. p. q. 10. art. 4. ad 2. qui eandem sententiam tribuit D. Thomæ eodem loco affirmanti quantitatem visionis magis attendi secundum quantitatem luminis gloriæ. Cum enim, inquit, affirmat S. Thomas magis attendi secundum lumen gloriæ, quam secundum intellectum: non negat attendi etiam secundum illum: sed potius asserit attendi quoque secundum intellectum, licet minus quam secundum lumen gloriæ: propterea quod intellectus est causa minus principalis visionis, quam lumen gloriæ.

Probatur autem primò, quia visio beatifica non procedit à solo lumine gloriæ, intellectu tantum passiuè se habente & subiectante lumen: sicut quando aqua calefacit, calefactio est à solo calore, ad quem aqua passiuè tantum se habet, & subiectiue: sic enim clarum est, quantitatem visionis, metiendam esse ex sola quantitate luminis gloriæ, tanquam causæ ipsius adæquatæ: Sed, ut supra ostendimus, intellectus, id est, substantia ipsa intellectiua, vitaliter agit, & concurrit partialiter, per seipsam immediate ad visionem: ita ut intellectus & lumen gloriæ constituant vnã causam integram visionis: & vtrumque principium habeat actiuitatem circa illam. Ergo ex quocumque crescat actiuitas, crescere potest effectus per se loquendo. Atqui posita maiori perfectione in ab eutro, crescit actiuitas: ergo &c. Confirmatur, quia quando totalis causa calefacit ex multis partibus, aucta quacumque illarum, est causa totalis maior, vnde potest efficere maiorem effectum per se loquendo, si operetur secundum totam actiuitatem. Sed ita se habent illa principia in præsentibus, ergo &c. Neque obest quod secundum aliquos, intellectus est causa instrumentaria visionis. Nam etiam ex perfectione instrumenti crescere solet effectus. Pictor enim meliorem calamo melius pingit. Imò posita intellectuum disparitate inter homines, non est improbabile quod de facto melior intellectus cum æquali auxilio, seu lumine fidei, melius operetur & viuacius etiam si actus fidei supernaturalis sit: ut de Angelis

61. Vnde oriatur inæqualitas visionum?

Lessius.

Molina, Caietan. D. Thomæ

62. Intellectus perfectior potest Deum videre per se, æquali lumine gloriæ.

Lefsius.
Coninck.

Angelis cum homine comparatis docet Lefsius lib. 12. de perfectionibus diuinis, c. 11. n. 80. & de omnibus generatim valde probabile esse affirmat Aegid. Coninck lib. 1. de actib. supernatur. disp. 5. n. 82. Nō est etiam improbabile quōd is qui propter ingenij & doctrinae praestantiā, melius apprehendit res fidei, & argumenta credibilitatis melius expendit, ac percipit; exerceat actus fidei intensiores, quā rusticus tardus & indoctus, cum aequali habitu fidei & auxilio supernaturali. Cūque possibiles sint intellectus creati perfectiores alij alijs in infinitum; incredibile est, tantum excessum non posse melius operari cum aequali auxilio supernaturali.

Melius eredit qui ob praestantiā ingenij melius percipit res fidei.

63.

Probatum secundū, quia certum est, & omnium consensus receptum, potentiā magis aut minus conantē cum aequali habitu & auxilio supernaturali, esse causā cur actus supernaturalis sit intensior aut remissior; nequē enim omnes cum aequali habitu & auxilio operantur semper aequaliter, aut quantum possunt cum illo operari. Ergo similiter quo maior fuerit concursus & conatus potentiā perfectioris, maior erit effectus. Atqui perfectioris intellectus potest esse maior concursus, si concurrat tota sua vi ergo &c.

Neque dicas verum id esse intra gradus tantum intensiois luminis gloriae, ultra quos nō potest eleuare potentiam. Respondeo enim vim luminis gloriae ad visionem non esse spectandā ex sola intensioe luminis: sed etiam ex coniunctione cum potentia concurrente, quae si perfectior est, iuuat ad melius operandum, ita ut lumen gloriae possit cum tali potentia perfectiorem effectum producere, quā cum potentia imperfectiore.

64.

Visio Dei non est maior de facto propter maiorem perfectionem intellectus.

S. Thom.

Secunda nihilominus responsi pars, quod nimirum de facto non sit maior visio propter maiorem solius intellectus perfectionē, probatur, quia visio Dei respondet de facto intensioi luminis gloriae, & meritis atque dispositionibus supernaturalibus. Vnde qui habent aequalia merita & dispositiones: habent etiam aequale lumen & aequalem visionem, quamuis alioquin intellectu inaequalis sint, ut affirmat S. Tho. q. 12. a. 6. in corp. & ad 3. Ferr. Medina, Suarez, Vazq. Molina, & alij communiter. Quorum aliqui absurdum esse censent, & parum fidei consonum, quōd existentibus aequalibus meritis & dispositionibus, futura sit visio inaequalis. Quia visio datur ut merces futurorum Dei: & ideo fieri non potest ut secundum legem praesentē aliquis absque pluribus meritis, & maiore gratia, perfectius videat. Sicut autē in naturalibus quando plures causae, non alioqui necessariae, concurrunt ad eundem effectum, non operantur omnes eandem intensioe, sed aliqua saltem minori conatu concurrunt, ut experientia notum est, etiam in causis naturalibus & necessariis, agentibus primā scilicet causā contemperante eorum concursum, ne frustra plus conentur, quā sit necessarium ad talem effectum: Sic in praesenti descendendum est ad Deum contemperare concursum luminis gloriae, & intellectum perfectiorem in minus conari quōd modo in ed.

Tomus I.

cienda visione aequali illi, quā alius imperfectior elicit cum aequali lumine gloriae. Neque propterea Deus vim infert aut iniuriā facit intellectui, quia non habetius ad maiorem visionem, neque illi debetur concursus maior, quā qui necessarius est, ut cum tanto lumine, tantam visionem eliciat.

Dixi autem probabilius tantum id esse: tum quia multi Theologorum opinantur contrarium, ut Scotus, Richard. Durand. Gabriel. Maior, & alij, nec multum abest Herice disp. 49. c. 4. n. 62. tum quia ratio ex absurdo allata non adeo urget. Negari enim potest absurdū esse, ut per accidēs perfectius videat qui alioqui perfectiori intellectu sunt praediti; & ut merces per accidēs sit inaequalis. Quāquā in mercede computari non debet, quod per accidēs alicui melius & maius est, quatenus tale est ratione maioris perfectionis naturalis, quam non destruit gratia, sed pericit. Neque propterea quicquā erit in visione quod nō sit a gratia: sed perfectior intellectus melius operabitur posita aequali gratia: concurrentē tamen, etiā ad excessum, principaliter gratia. Iuxta hanc verō sententiā dicendum est, iustos mereri immediatē gratiam sanctificantem, & lumen gloriae illi proportionatū, concursūque toti eius actiuitati debitū: ex quo per accidēs sequitur, ratione maioris perfectionis naturae, quōd visio sit maior in aliquibus habentibus lumen aequale.

65.

Herice.

Altera difficultas est; quomodo visio Dei maior aut minor esse possit. Respondeo, dupliciter: intensiue scilicet, & extensiue. Primum omnibus admittitur tanquam fidei certum: ita mirū videtur, ut in via datur intensior fides, & intensior charitas, tū actualis, tū habitualis: sic in patria detur intensius lumen & intensior visio, & amor, & fructio. Neque difficile est ut circa idem obiectum detur visio maior intensiue, id est secundum gradum maiorem & altiorem visionis tendentem in idem obiectum. Imo ad hanc differentiam non est necesse ut visio constet pluribus gradibus. Sufficient enim esse altiorem in simplici gradu: licet visio ipsius Dei, quā se & sua intuetur, simplex est, & tamen quamcumque visionem creatam infinita intensioe virtuali excedit. Et quamuis quōd res eadem videatur remissius ex parte actus, eō obiectū videri soleat quasi minus, donec veniat ad aequalitatem, ut patet intuenti montem remotissimum, ad quē quōd magis accedimus, eō maiorem videdemus, qui scilicet melius & clarius videmus: Sicque Beati quōd clariorem Dei cognitionem habet, eō secundum rationē praestantioris boni ipsum cognoscunt: Non video tamen repugnare, cur secundum eandem rationem non possit terminare visionem magis ac minus intensam, sicut idem effectus potest, absolute loquendo, terminare maiorem & minorem causalitatem, quamuis naturaliter quantitas causalitatis accommodari soleat quantitati effectus.

66.

Deus potest videri magis & minus intensiue, & extensiue.

67.

Secundum verō, de extensione ad plures conceditur, quos citat & sequitur De Salas; & probatur ratione, quia licet Deus

N

fit vna simplex entitas: tamen est multiplex virtualiter, imò & formaliter respectu proprietatum relativarum quibus subsistit. Item est intelligentia omnium, idq; diversimodè. Quædam enim necessariò, quædam contingenter intelligit. Item est amor rerum plurimarum, & potentia effectiva infinitorum possibilium. Vnde mirum non est, si visio maior esse possit aut minor, secundum extensionem ex parte objecti, eo quòd videtur Deus ut attingens plura vel pauciora objecta, vel diversarum rationum, vel similitim. Nam quòd res etiam alioqui simplicissima in entitate videri possit inadæquatè & partialiter, multis exemplis naturalibus supra ostensu fuit n. 48. & 49.

68.

Adque dupliciter specificè, aut numericè entium.

Dixi, vel diversarum rationum, vel similitim: quia extensio duplex esse potest. Vna, ad plura eiusdem rationis, alia, ad plura diversa rationis. Nam v. g. visio corporalis, quæ videtur multos colores specificè diversi simul oculo propositi, extenditur ad multa diversa specificè. Cui autem videntur eodem actu multa eiusdem coloris, extensio est ad diversa tantum numericè. Sic ergo visio Dei extendi potest, vel ad plures rationes specificè quasi differentes; vt si quis Deum videat quatenus est intelligentia, vel amor, vel potentia plurium possibilium (specie diversorum: aut ad plura numericè tantum diversa; vt si quis Deum videat quatenus est intelligentia, vel amor, vel potentia plurium solo numero differentium: quod paulò post amplius declarabitur.

Visio objecti scilicet diversè est specie diversæ.

Cum autem visio extenditur ad plura specificè diversa, ipsa specificè & essentialiter diversæ esse, alia minus extensa: sua essentialiter respicit objectum adæquatum specie diversum, ad illudque habet essentialem ordinem ascendentalem. Est enim essentialiter expressio totius objecti, quod distinctè & secundum se attingit. Quando autem vna visio habet aliquem ordinem essentialem, quem altera non habet distinguuntur specie: quia distinguuntur per aliquid essentialè, vt rectè & fuse docet Hefice disp. 5. n. 42. & disp. 18. n. 31. & disp. 49. n. 30. & sequentibus. Quare non assentior Suari lib. 2. de attributis c. 19. affirmanti, neque de facto esse differentiam specificam & essentialem inter visiones creatas Dei, neque de potentia absoluta esse posse. Etenim Deus neque videri necessariò debet, neque de facto videtur ab omnibus, secundum eandem omnino rationem, aut secundum omnes easdè quasi specificè & essentialiter: sed, vt fateatur Suares ibidem in solutione secundæ argumenti, quædam visiones Deum attingunt cum habitudine ad plures creaturas distinctè & formaliter, & vt principium intellectuum, volituum, & effectuum plurium possibilium specie diversorum. Quæ diversitas arguit distinctionem specificam visionum. Cum enim visio sit essentialiter quædam imago & expressio vitalis rei cognita, siue illa sit Deus, siue creatura, non videtur posse intelligi quòd duæ res omnino eiusdem speciei, & in se indivisibiles, sint imagines essentielles rerum specie diversarum, velut objectorum adæquatorum huiusmodi visionum, cum ratio imagi-

Herice. Suarez. Dari possunt visiones Dei specie distinctas.

nis essentialiter exprimentis sumatur ex ordine ad rem representatam, atq; inde speciem & essentialiam habeat, quòd fit illi conformis.

Nec valet quod respondent aliqui, Deum primariò representari, & secundariò creaturam. Tum quia nihilominus creatura representatur secundum se; & eius representatio, seu vitalis expressio, est tali actu essentialis. Quare illud objectum, quamvis dicatur esse secundariū, sufficit ad constituendam differentiam essentialem, propter ordinem essentialem què actus habet ad tale objectum secundum se, id est, secundum propriam rationem formativam: tum etiam quia Deus inadæquatè sumptus vt cognoscens, aut volēs hæc aut illa formaliter & distinctè, differt ratione quasi specificè à seipso vt intelligente, aut volente alia specie diversa: Sicut visio quæ quis videt albedinè formaliter & distinctè, differt specificè ab ea quæ nigredinem tantum, aut albedinem simul ac nigredinè videt. Ipsa quoque potentia diuina est ratione multiplex quasi specificè, prout respondet potentis rerum creaturarum specie diversis.

Non refert etiam quod respondeat Suares, representari tantum creaturas in visione intentionali modo, non autem per formale convenientiam. Nam similitudo intentionalis ad objecta adæquata specie diversa, inducit in actus differentiam specificam: siquidem actus essentialiter sunt tendentiæ intentionales ad huiusmodi objecta. Alioquin cur actus, tum intellectus, tum voluntatis, tum appetitus sensitiui, & sensuum, differunt essentialiter, quatenus tendunt ad objecta adæquata essentialiter diversa, vt fateatur Suares cum communi sententia? Incredibile verò est quod idem addit, ne de potentia quidem absoluta posse dari visiones Dei creatas specie diversas. Quidni enim possent esse duæ visiones essentialiter diversa, non modò ratione objecti formalis diversi, vt iam expositum est; sed etiam circa idemmet objectum formale, ratione propriæ entitatis essentialiter diversa? Sicut visio quæ Deus se videt secundum hanc aut illam rationem, differt suâ essentiali, à visione creatæ quæ videtur secundum eandem rationem: & intellectio lapidis differt à visione vel imaginatione eiusdem. An autem visio beatifica prout præcisè beatifica est, siue secundum præcisum conceptum beatitudinis, siue eiusdem speciei in omnibus Beatis, in præsentia non disputo. Moneo tantum aliud esse Dei visionem simpliciter, & aliud formale beatitudinem: & ad hanc plura requiri quàm ad illam. Vnde nonnulli ex vna male argumentantur ad aliam. Quòd specialiter advertendum hæc sunt, cum in eo peccetur sæpissime in præsentii controversia.

Visiones dependent a specie specificè.

Potest dari visio specie diversa circa idemmet objectum.

SECTIO IX.

Quomodo et visio extensivè maior & minor esse possit

Conclusio: Visio Dei multipliciter maior aut minor esse potest secundum extensionem tantum specificam, quasi numericam.

71.

Dico posse: nam quid de facto sit in presentia non disputo; sed ut supra monui, hac quaestio in tractatu de Beatitudine reicienda est.

Visio Dei potest magis aut minus extendi ratione attributorum.

Ac primo extendi potest ratione diversorum attributorum: ita ut quaedam videantur non alia, neque omnia: & ab his plura, ab his pauciora. Cum enim Deus videri possit visione finita; & eius perfectiones sint infinitae virtuali multitudine (sunt enim cognitiones & idae infinitae, virtualiter distinctae; & infiniti actus voluntatis circa se & possibilis; & virtutes agendi extra se infinitae, comprehensae in omnipotentia) non possunt omnes simul & distincte videri tali visione. Hoc enim superat omnes vires finitas, quae plures requiruntur aut maiores, quod plura sunt videnda simul. Neque potest visio finita adaequari objecto infinito perfecte cognito & distincte, ita ut expresse cognoscatur quidquid est, secundum omnes illius rationes formaliter aut virtualiter distinctas.

72.

Quodlibet attributum Dei non potest videri sine alio.

Observandum tamen est, non esse generatim accipiendum quod indefinitè asserimus, posse vnam ratione diuinam sine alia videri. Nam ex gr. fieri nequit ut Deus videatur sub ratione sola simplicitatis, aut immensitatis, aut aeternitatis, & similibus; vel ut videatur sola simplicitas, vel immensitas, vel aeternitas, aut immutabilitas, abstracta ab omni alia ratione. Sunt enim haec veluti modi qui sine aliquo modificato cognosci nequeunt, praesertim clarè & intuitiue: sed se habent ut sensibilia communia, quae sunt veluti determinationes propriorum sensibilibus, & sine illis videri non possunt. Quare sicut nemo potest videre figuram separatim, aut extensione, aut collocationem; & nullam rem figuratam, aut extensam, aut collocatam simul intueri: Ita nemo potest videre aeternitatem, immensitatem, simplicitatem; & nullam rem aeternam, immensam, & simplicem. Est enim aeternitas modus quidam rei aeternae. Intuitiua autè cognitio rei intellectualis habet similitudinem quandam cum intuitu oculari. Similiter non puto videri posse solam rationem entis, aut substantiam: quemadmodum oculis non potest videri ratio abstracta coloris, aut similes rationes genericae, praesertim si sit clara visio ocularis.

73.

Vnum & aliud attributum potest magis & minus videri.

Suarez.

D. Thom.

Secundo extendi potest visio Dei magis aut minus ratione vnus & eiusdem attributi. Neque opus est necesse ut vnumquodque attributum videatur à quolibet secundum omnem rationem, & quoad omnem modum, quod habet virtualiter multiplicem, ut specialiter de attributo immensitatis, affirmat Henricus, & Scotus, quos refert & sequitur Suarez. lib. 2. de attrib. cap. 22. n. 19. & de alijs generatim Ferraricis loco supra citato. Capreolus quoque & Caietan. & alij plerique Thomistae teste Suarez cap. cit. n. 7. admittunt dari posse verba inadaequata, seu visiones inadaequatas, circa diuina attributa; quamuis nec inter se, neque nobiscum in omnibus consentiant. Et D. Thom. 3. 8. de veritate a. 2. ad 6. ait, Beatum videre quidem immensitatem Dei, sed

non immensè: quia licet totam videat immensitatem (totam scilicet quoad entitatem, & non per partes physicas) non tamen videt totaliter. Ratio est, quia cum hoc attributum, & similia, sint actu infinita, non possunt totaliter & distincte videri visione finita, propter argumentum paulò ante propositum.

Tertio extendi potest visio Dei ratione personarum diuinarum. Quamuis enim de facto Beati videant cum essentia Trinitatem personarum, ut à Concilio Florent. expresse definitum est in literis vnionis: de potentia tamen absoluta non repugnat videri essentiam, non visis personis distincte, & formaliter ut personae sunt, quamuis non possint non videri identice: vt rectè docent Scotus in 1. dist. 1. q. 2. § *Quantum ad sum articulum*. Bassolius, Rada, & alij Scotistae ibidem; Paludani, in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. conclus. 1. S. Antonin. 3. parte, tit. 30. cap. 4. § 2. Palacius in 1. dist. 1. disput. 3. Citantur etiam à De Salas in eadem sententiam, Constantius Sarnianus Cardinalis in Directorio Theologico V. *Beatitudo*, Ferdinandus Vellofilius Episcopus Lucensis in Aduertentijs ad Romum 9. D. Augustini q. 16. dub. 2. & plures alij, quibus ipse subscribit tomo 1. in 1. q. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 3. n. 26. Accedit etiam ex parte Domin. Sotus in 4. dist. 49. quaest. 3. art. 3. conclus. 2. & Molina 1. 1. q. 12. art. 8. disput. 4. §. *Quod ad primum articulum*, vbi sententiam oppositam sequitur tantum ut probabiliorem.

74.

Essentia dei una potest absolute videri sine personis.

Scotus.

Paludani

Anton.

Palac.

Sarnian.

Vellofili.

De Salas

Sotus.

Molina.

75.

Probat, quia nulla potest ostendi implicantia contradictionis in eo quod essentia diuina videatur non visis personarum. Si quae enim esset, inaxime illa quam communiter praetendunt Aduersarij: Quia si plano personalis & essentia sunt omnino idem à parte rei; videre vnam sine alia, esset videre & non videre eandem rem: quia videtur ut supponimus; & non videtur, quia id quod est id cum ipsa, non videtur. Quae sicut implicat videre Petrum v. g. non viso Petro, & paternitatem non visa paternitate, & hominem non viso rationali; sic & videre essentiam diuinam non visis personalitatibus. Sed hoc argumentum infirmum est. Licet enim relationes personales sint idem re cum essentia, differunt tamen ratione, & virtualiter in re. Superius autem ostensum est rem vnam, & eandem, virtualiter multiplicem, posse videri inadaequatè, non visa omni ratione illius distincte & formaliter. Respondeo igitur, videre essentiam sine relationibus personalibus, esse videre & non videre eandem rem, non secundum eandem rationem, sed secundum diuersas: quod non implicat. Potest enim aliquid videri in se, licet non videatur quicquid est re idem cum illo. Quemadmodum accidentia visibilia, quae secundum se tota omnino inhaerent, videntur in se, licet eorum inhaesio, & dependentia à subiecto non videatur, nec dependentia à Deo, quamuis secundum se immediate pendeant. Ita Deus ipse ita videtur se-

Obiectum realiter in diuisi potest videri inadaequatè.



secundum essentiam, ut tamen non nihil illius lateat videntem, & ita ut non secundum totam visibilitatem omnino videatur: à nullo enim præterquam à se, videtur infinitè, & adæquatè quantum visibilis est.

76.

Adde quod re ipsa communicatur essentia Dei sine proprietate relativiæ & personali principij à quo persona diuina procedit: Contra quam communicationem non minùs pugnat argumentum propositum. Sicut autem ex eo quod communicatur essentia Filio, non communicata paternitatè, inferri tantum potest, idem in re communicari & non communicari, sub diuersis rationibus: communicari sub ratione essentiæ, & non communicari sub ratione paternitatìs, quod non implicat. Sic, &c. Eodem modo non repugnat videre Petrum & non videre, in adæquatè: aut videre hominem in adæquatè prout animal est, non viso rationali: ut fit cum eminè videtur aliquis, non discernendo sitne homo an brutum? vel sitne hic homo in particulari? Quanquam hæc exempla minùs appositè proferuntur ab Aduersarijs, cum Petrus sit secum idem adæquatè: & paternitas similiter adæquatè sibi identificetur: & rationale sit essentialè homini. At verò qualibet personalitatum diuinarum in adæquatè tantum identificatur essentiæ, ut suo loco explicabitur: & nulla formaliter est essentialis Deitati, seu naturæ communi. Unde ulterius sumi potest argumentum. Nā sicut identitas realis non impedit quin vna ratio sit de essentia & non alia; vna secundum se identificetur alicui alteri, cui non identificatur alia: vna communicetur, non altera: vna vnatur hypostaticè humanitati Christi, non altera: ita, nisi aliunde repugnet, saltem ex parte identitatis realis non obstat quo minus vna videatur, non alia. Quidam enim cognitione separari quodammodo possint, si nihil aliud obstat, ea quæ separantur communicatione, vnione, & identificatione? Item res potest videri sine eo quod est extra rationem ipsius, nisi quid aliud obstat. At relationes personales sunt extra rationem essentiæ diuinæ, alioquin Pater non communicaret totam essentiam Filio non communicata paternitate: ergo &c.

77.

Obijcies, si in Deo esset vna tantum persona, non posset videri diuina natura sine persona. Sed Deitas tam idem est cum tribus personis, quam esset tunc cum vna: ergo &c. Respondet antecedens petere principium, & esse falsum. Nam visà essentiā, non est necessarium absolutè videri personalitatem, licet illa vnica sit. De facto enim Damones videbant naturaliter Christi humanitatem: at non diuinam personalitatem Verbi quā subsistebat: hæc enim naturalem Angelorum cognitionem excedit. Minor etiam falsa est. Iam enim magis distinguitur essentia à tribus personalitatibus; quam tunc ab vna. Tunc enim adæquatè tantum identificaretur cū illa: iam verò in adæquatè tantum identificatur illis diuisim supposita ut realiter

identificetur secundum se alicui alteri, cui non illa identificantur secundum se: & non tantum realiter sit qualibet illarum: sed etiam aliquid realiter à qualibet distinctum. Ex. gr. essentia non est tantum Paternitas, sed etiam Filiatio, quæ realiter distinguitur à Paternitate.

Eodem responso refutantur, qui putant ratione visionis intuitiue repugnare id quod diximus. Quia, inquit, de ratione intuitionis est, ut videatur res sicuti est. Ergo ut tripliciter subsistens, si ita est. Refelluntur, inquam: quia non est de ratione visionis intuitiue ut videatur omnis modus, & omnis ratio quam res habet à parte rei. Nam Dæmon inquit videns Christi humanitatem, non videt modum vnioris quem habet. Unde non licet colligere, videt illam humanitatè profut est in se: sed in se est vnita Verbo: ergo videt vnitam. Cum enim dicitur res videri prout in se est, dupliciter id potest intelligi. Primò, ut videatur secundum omnem modum, quem in se habet. Secundò, ut secundum id quod videtur, ita sit: & hoc posterius ad visionem in adæquatam sufficit. Neque propterea videtur res alio modo quam sit: sed tantum non videtur omni modo quo est. Neque affirmatur esse distincta, vel multiplex: sed tantum prædicta & in adæquatè attingitur.

Suares libro 2. de attributis capite 23. numero 11. putat visionem intuitiuam essentiæ diuinæ, naturā suā, & seclusis miraculis, necessariò esse simul visionem personarum. Primò propter illud Christi Ioann. 14. V. 9. *Philippe qui videt me, videt & patrem meum*, cuius rei necessitatem videtur Christus fundare in identitate essentiæ, quando subiungit vers. 10. *Non credis quia ego in patre, & pater in me est? secundò, quia negari non potest, quin sit de ratione visionis intuitiue, ut per eam videatur res quomodo est, & secundum omnes conditiones existentie quas habet à parte rei. Tertio, quia relationes & essentia non solum sunt idem: sed ita sunt inter se connexæ, ut essentia ex vi sue rationis essentialis petat terminari per relationes. Ergo non potest videri essentia secundum omnia prædicta essentiali, quin simul videantur relationes. Probatur consequens, quia cum ex his prædictis essentialibus est, quod illa essentia sit in se, & ita secunda ut postulet communicari tribus. Unde sicut non potest videri persona, quin videatur incommunicabilis: ita è contrario non potest videri natura, illa, quin videatur communicabilis tribus personis, & in particulari his tribus, quia naturā suā non est alijs communicabilis. Illa autem communicabilitas est omnino actualis in tali natura: ergo cum visione talis naturæ necessariò coniuncta est visio trium personarum, quia illa communicabilitas non potest concipi sine suo termino.*

Ad primum respondeo primò cum D.

78.

Non est de ratione visionis intuitiue quicquid res est.

79.

disp. 1. 5. se.
tio. 7.

Chrysol.
Cyrillus.
Tertull.

Chrysol. homilia 73. in Ioann. Cyrillo lib. 9. in eundem. cap. 37. 38. & 39. Tertulliano lib. contra Praxeam, cap. 24. sensum illius loci hunc esse: qui videt me per fidem & verbis meis atque operibus credit: necesse est ut videndo me, id est, diuinitatem meam per fidem; videat etiam Patrem: quia Pater in me manens, ipse facit opera miraculosa, quae ego facio, & per ea testatur se patrem esse meum, & me ipsum esse filium unigenitum. Quae expositio fundatur omnino in coherencia verborum quae sequuntur: *Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quae ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.* Secundo dicitur sermonem ibi esse de visione latè sumpta, pro cognitione etià abstractiua; qualis erat Philippi, & cæterorum Apostolorum, visio Dei hac in vita. Quo sensu verè impossibile est videri filium; quin videatur, id est, cognoscatur Pater, ad quem Filius, quia filius, habitudinem dicit.

81. Ad secundum sæpius iam responsum est. Ad tertium dico essentiam posse videri inadaquatè, non visà illa connexionè & communicabilitate: tamen si serum est essentiam diuinam secundum illam rationem videri non posse distinctè & formaliter, quin cognoscantur personæ: sicut ob eandem causam non potest vna persona videri, vt talis, Pater aut Filius, quin cognoscatur altera illi correlatiua. Non est tamen necesse cognitionem illam per modum visionis terminari ad vtrumque; sed terminus tam communicabilitatis, quam relationis personalis, potest cognosci abstractiue: sicut potest imago videri, non visà re cuius imago est: & sicut Deus videt clarissimè connexionem suam intelligentiæ, voluntatis, & omnipotentiae, cum rebus merè possibilibus, quas tamen proprie non videt, quippe quæ non existunt.

Addit Suares ibidem num. 19. non modo fore miraculosum, sed esse penitus impossibile, videre essentiam sine personis. Nihil tamen affert quod iam solutum non sit. Cum autem querit an illa visio foret eiusdem speciei, an diuersa ab ea quæ nunc habent Beati? Respondendum est fore diuersa: quia obiectum adæquatum quasi specificè diuersum haberet, siquidem essentia sola esse, ipsius obiectum adæquatum: alterius verò obiectum adæquatum est essentia cum personalitatibus, quæ addunt essentiae rationes proprias, quasi specificè, tum inter se, tum ab illa diuersas. Et hæc tenet de extensione ad Personas.

82. Quarto extendi potest visio Dei respectu actuum liberorum voluntatis diuinæ, & actuum contingentium diuinæ intelligentiæ. Neque enim est necesse, vt qui Deum videns, videant omnia consilia libera voluntatis eius, vt docet S. Thomas quæst. 12. art. 7. & 8. & 3. p. q. 10. a. 1. & 4. post. S. Dionysium de cælesti Hierarchia cap. 7. vbi ait inferiores Angelos illuminari à superioribus

de diuinis consilijs, quia non omnes ea norunt. Et quidem quod Angeli alij doceantur ab alijs de diuinis consilijs, patet ex Scriptura, Apocalyp. 7. alijsque locis. At hoc esset superuacaneum, si omnia immediatè à Deo ipso cognoscerent. Christus etià Matth. 24. & Marc. 13. negat Angelos nosse diem iudicij. Et quamuis dicat etiam filium non nosse; ideoque oporteat prudenter hoc interpretari, non de negatione omnis cognitionis, sed alicuius, eius nempe quam accepit vt doctor manifestandam Ecclesiæ: tamen non est par ratio, vt de Angelis eodem sensu dictum id fuerit, quo dictum est de Filio Dei. Denique Theologi communi consensu animæ Christi tribuunt, tanquam proprium & singulare, quod omnia diuina consilia intueatur, vt testatur Suares lib. 2. de attribut. c. 24. num. 3. Ac si visà substantiâ Angeli vel animæ nostræ, non est necesse actus eius liberos cognosci: Nam de facto Angeli vident naturam aliorum Angelorum, & nostram, & tamen actus liberos non vident. Multò minùs necessarium est visà Dei essentiâ, actus eius liberos videri. Quod enim actus liberi Dei nõ distinguantur ab eius essentiâ, non obest quo minùs possint non videri, visà essentiâ. Imò hoc ipsum difficilius cognitu illos reddidit, quod nimirum nihil addant voluntati diuinæ, nisi rationem occultissimam habitudinis, quæ cum Dei voluntate nullam habet necessariam connexionem.

Neque tamen propterea attendendum puto illis qui docent non posse vllum liberum Dei actum in ipso videri à creatura, sed tantum à Beatis per relationem cognosci. Etenim actus illi in seipsis cognoscibiles sunt, & de facto cognoscuntur à Deo immediatè & per se. Neque apparet impossibile quod creaturis immediatè manifestari possint: quodque Deus visionem efficiat eateus suæ respondentem, quæque hac in parte participatio quædam illius sit. Nulla enim hac in re potest verisimiliter ostendi contradictio. Sed è contrario magis videtur incredibile Deum non posse per se immediatè manifestare suam voluntatem Beatis. Et SS. Patres dicunt mirificè delectari Beatos, videndo in Verbo mirabiles rationes diuinæ providentiæ, præsertim circa hominum salutem, & præcipuè circa propriam. Cur autem plura vel pauciora Dei decreta videantur, causa est, tum quantitas luminis gloriæ, tum status cuiusque Beati. An autem omnia quæ pertinent ad statum cuiusque, videantur in Verbo? dicemus alibi in tractatu de Beatitudine.

Quæ diximus de actibus liberis diuinæ voluntatis, debent cum proportione intelligi de actibus contingentibus scientiæ diuinæ. Potest enim similiter visio Dei magis & minùs extendi in ordine ad illos: quatenus scilicet Deus potest videri prout est contingenter intelligentia plurium vel pauciorum creaturarum, consistentium in aliqua temporis differentia, vel extiruratum, sponeretur conditio aliqua, quæ non ponitur.

Suarez.

83.

Beati nos
vnt vide-
re in seipsis
actus Dei
liberos.

N. 2.

SECTIO X.

An, & quomodo Dei visio extendi possit in ordine ad creaturas?

84.

Creatura possunt cognosci in Verbo.

D. Thom.

D. August.

Cognitio Angelorum matutinam & vespertinam.

Senonense Concil.

Ultima extensio esse potest in ordine ad creaturas, tam vt possibiles, quam vt existentes. Quod enim illa possint cognosci in Verbo, docent communiter Theologi, exceptis Nominalibus quos Vasquez & Becan. sequuntur. Idemque perspicue affirmat D. Thom. quaest. 12. a. 8. 9. & 10. & quaest. 57. art. 5. quem locum in contrarium male nonnulli obijciunt. Ibi enim expresse dicit Beatos Angelos videre in Verbo quaedam mysteria gratiae, non quidem omnia, nec aequaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit illis reuelare; ita tamen quod superiores Angeli perspicacius diuinam sapientiam contemplantes, plura mysteria & altiora in ipsa visione cognoscunt, quae inferioribus manifestant eos illuminando. Adde sanctos Patres, & praecipue D. August. lib. 11. de ciuit. cap. 7. & 29. & lib. 4. de Genesi ad literam, cap. 22. & sequentibus, & alibi sapienter, vbi in Sanctis Angelis distinguit cognitionem matutinam & vespertinam. Per matutinam intelligens cognitionem creaturarum in Verbo: per vespertinam, in seipsis. De quibus duabus cognitionibus sic ait cap. 7. lib. 11. de ciuit. *Cognitio creaturae in seipsa decoloratior est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte per quam facta est. Et cap. 29. Ipsam quoque creaturam melius ibi videtur esse, quam in ea ipsa sciunt: ac per hoc & seipos melius quam in seipsis.* Fauent etiam Patres Concilij Senonensis in decretis fidei, decreto 13. dum aiunt, Beatis primum esse omniforme illud diuinitatis speculum, in quo quicquid eorum ingerit, allucescat. Ratio denique est, primo quia cum creaturae, tam possibiles, quam existentes, sint absolute cognoscibiles in Deo (Deus enim in seipso eas omnes cognoscit, & quidem multipliciter, vt sequenti disputatione probabitur) non apparet cur aliqua huius visionis participatio creaturis communicari nequeat. Secundo, cum Deus essentialiter sit notitia omnium rerum possibilium, vt talium; & contingenter quidem, sed tamen verè & perfectissime, creaturarum omnium existentiam, quae talium, vt eadè disputatione ostendetur; ideoque in ipso saltem prout intelligente, exprimentur vitaliter omnia perfectissime, & distinctissime: non apparet quomodo visio Dei, vt essentialis vel contingentis notitiae creaturarum; non sit etiam ipsarum aliquo modo licet, quia creaturae non sunt in Deo formaliter secundum se, cognitio creaturarum in Deo non sit proprie visio respectu ipsarum; quia non est cognitio earum in seipsis vt praesentibus, neque immediate, sed in alio. At neque tantum in Deo, tanquam in idea, vel

notitia creaturarum, cognosci possunt creaturae, vt quidam opinantur, verum etiam tanquam in causa, quemadmodum verè affirmat S. Thom. quaest. 14. a. 6. post D. Dionysium cap. 7. de diuinis nominibus, quos alij plurimi sequuntur. Ratio est, quia eminentialis continentia a sufficit ad hoc vt vnum in alio cognosci possit; & incredibile videtur, posse Angelum in seipso cognoscere Deum vt causam sui esse; & tamen Deum inueniendo, non posse in illo, vt in causa, cognoscere seipsum: ac Deum ipsum, suam essentiam videndo, non posse in illa & per illam cognoscere Angelum, vt effectum, què in se, velut in causa totali & adaequata continet.

Sic igitur visio Dei magis aut minus extendi potest, quatenus plures aut pauciores creaturae possunt in ipso cognosci; neque enim est necessarium vt cognoscantur omnes à quolibet; quia non est necesse vt quilibet videntium comprehendat extensionem, siue intelligentiam, siue omnipotentiam diuinam, quae infinita est. In quo nobiscum sentiunt D. Thom. quaest. 12. art. 7. & 8. Caiet. Scotus, Medina, Scotus, Henricus, & alij communiter, quorum plurimos citant & sequuntur Suar. lib. 2. de attributis cap. 76. num. 10. & De Salas tract. 2. disp. 4. lect. 5. num. 71. Confirmatur, quia non est necesse, visam causam, videri vel cognosci omnibus effectus virtute contentos in illa: neque visam re aliquam, videri omnes habitudines, quas habet ad omnes alias; nisi causa, vel res illa comprehendatur. At qui Deum vident, non comprehendunt ipsum: ergo &c. Maior liquet multis exemplis naturalibus. Nam v. g. visio sole, vel igne, non est necesse cognoscere omnes effectus possibiles ipsius, neque omnes habitudines, etiam transcendentales & intrinsecas: imò non est necesse visio Deo, videri in ipso creaturam vllam determinatam, quaeunque illa sit, vt post alios plurimos docent De Salas supra num. 72. & Molina q. 12. art. 8. disp. 3. in fine, & disp. 5. membro. 1. Fasolus quaest. 12. art. 8. dub. 19. n. 101. vbi Henricum, Scotum, Richard. Paulud. Okamum, Antonin. & plurimos alios citat: nimirum quia infundi potest lumen gloriae tam remissum, vt non sufficiat ad Deum videndum distinctè, prout est intelligentia, volitio, vel potentia alicuius creaturae in particulari; sique confirmant exempla naturalia superioris aetate.

Aduersus haec obijciuntur multa, quorum aliqua nullius sunt momenti, & aequè possunt obijci contra ipsammet Dei cognitionem, quae in seipso cognoscit omnia possibilis. Caetera ferè huiusmodi sunt. Primo, quod essentia Dei absoluta sit, & nullam dicat connexionem, nullum respectum ad creaturas. Secundo, quod ne Deus quidem in se, velut in causa, cognoscat creaturas: neque sciat creaturas quia est causa ipsarum, sed potius ideo possit esse causa, quia habet perfectam scientiam earum. Tertio, quod si quae res creatae videntur in Deo, nulla fierat

D. Thom. S. Dionys.

85. Creaturae in Deo plures vel pauciores videri possunt.

D. Thom.

Suar. De Sal.

Non est necesse visio Deo videri vllam creaturam in ipso.

Molina, Fasolus.

86.

tio cur non omnes, & cur hæc potius quam alia; cum lumen gloriæ sit idem specie, & Deus idem qui omnibus obijcitur. Quartò, quòd si lumen gloriæ valeret ad cognoscendas creaturas in Verbo; quòd maius esset lumen, eò plures deberent videri. At hoc est fallum: contingit enim vt per minorem visionem Dei, & per minus lumen gloriæ, plura contingentia videantur in Verbo, si verum est quod Beatorum quisque non omnia huiusmodi videat, sed eorum quæ ad ipsum spectant, vt communiter docent Theologi: Etenim fieri potest, vt ad minus Beatorum multò plura pertineant. Quintò, quòd perfectio Beatitudinis, & visionis beatificæ, commensurata sit Beati meritis, vel dispositionibus. Fieri autem potest, vt aliquis non habeat tot merita, vel dispositiones, quæ visionem postulent ita perfectam, vt comprehendat omnia quæ de creaturis dicuntur cognosci à Beatis, nimirum omnia fidei mysteria, quæ in via crediderunt, iuxta illud 1. Corinth. 13. *Ex parte cognoscimus, &c.* & totam Vniuersi machinam, compositionem, & ordinem: & omnes species rerum ex quibus constat, vel quæ in ipso extiterunt in aliqua temporis discretia: & quædam specierum illarum indiuidua, in quibus natura specifica & proprietates sufficienter eluceant: & denique ex rebus existentibus, quæcunque pertinet ad statum ipsorum, siue intrinsecum; ad exercendas scilicet prudentissimè & iucundissimè omnes actiones beatitudini consentaneas: siue extrinsecum, vt ea quæ hæc in vita reliquerunt, quæque fuerunt suæ curæ commissa, si talia sunt, vt merito censentur adhuc habere specialem curam eorum, iuxta illud 2. Petri 1. *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*: item preces eorum à quibus inuocantur, & cætera huiusmodi, iuxta illud Gregor. 4. Dialog. cap. 33. *Quid est quod ibi nescitis* (nimirum de pertinentibus ad se) *ubi scientiam omnia sunt?*

Gregor.

87

Propter hæc & similia Nominales & Vasq. existimant creaturas non cognosci in Deo ipso, neque in Verbo formaliter, id est, in ipsa Dei visione: sed casualiter tantum, quatenus ex visione Dei, saltim morali causalitate, sequitur cognitio aliquarum creaturarum, quam Deus Beatis propter illam communem, aut videntur eadem visione; non tamen formaliter & præcisè, prout in Deum tendit directè & immediatè, in quo immediatè cognoscantur creaturæ, vt in causa, vel idea, & notitia expressa: sed quatenus eadem cognitio realiter, quæ est Dei visio immediatè & secundum se, potest etiam esse visio vel cognitio directè & immediatè creaturarum. Sicut enim Deus eadem cognitione realiter, & seipsum, & creaturas, secundum se immediatè cognoscit & per se: quippe qui eas cognoscit omni modo quo sunt cognoscibiles sine imperfectione: ita huius visionis potest dari creaturis aliqua participatio, cum in eo nulla sit repugnantia.

Ad primum Respondeo, creaturas vt possibiles habere connexionem necessariam cum Deo, ratione intelligentiæ, amoris, & omnipotentia essentialis Deo, & essentialiter ad ipsas terminatæ vt possibiles sunt: quatenus verò existentes, habere contingentem & liberam connexionem, ratione contingentis scientiæ visionis, & liberæ volitionis, & actualis causalitatis, ad ipsas vt tales liberè terminatæ. Quæ de re plura dispositionibus sequentibus de scientia & voluntate Dei, Videri potest De Salas 1. 2. tract. 2. disput. 4. sect. 2. num. 13. & lect. 4. num. 52. 61. 62. vbi post multos alios rectè affirmat Deum habere transcendentalem relationem ad creaturas, quatenus est earum intelligentia, & amor, & omnipotentia.

88
Creatura
habent cõ-
nexionem
cum Deo:

De Salas

Ad secundum Respondeo cum D. Thoma quæst. 19. artic. 4. ad 4. & quæst. 25. artic. 1. ad 4. scientiam Dei concurrere tantum ad productionem creaturarum per modum dirigentis voluntatem & omnipotentiam. Vnde non constituitur Deus formaliter loquendo potens ad agendum physicè, per scientiam; sed per suam omnipotentiam, à scientia & à voluntate distinctam. Quare formaliter loquendo de principio per se physicè agendi, non ideo potens est Deus efficere omnia, quia scit omnia: sed quia habet talem potentiam & efficaciam, quæ immediatè conuenit illi ratione suæ perfectionis essentialis, quæ quatenus est ipsum esse per essentiam, eminenter continens omne aliud esse, est principium principale potens ad faciendum omnia.

B. Thom.
Deus non
creat phy-
sicè per
scientiam,
sed per
omni potè-
tiam.

Ad tertium Respondeo, non posse omnes creaturas possibiles cognosci simul distinctè ab intellectu finito, & finitè tantum videntur: quia neque sunt infinitæ: neque tamen esse consequens, vt non cognoscantur aliqua in Deo, siue vt non cognoscatur Deus quatenus est intelligentia & causa aliquarum, licet non cognoscatur quatenus est causa & notitia omnium. Cur autem plures vel pauciores videantur in Verbo visione ipsa beatificæ, causa est inæqualitas luminis gloriæ. Cur verò hæc potius quam alia, facit diuina determinatio, & quasi applicatio libera diuinæ intelligentiæ, voluntatis, aut omnipotentia, per modum obiecti concurrentis determinatiuè, & sese exhibentis intellectui Beati, prout est intelligentia vel volitio talis aut talis creaturæ: vel prout est virtus effectiua illius. Vel si sermo sit de creaturis existentibus, quæ, vt tales, non possunt cognosci in sola essentia, siue attributis essentialibus, sed tantum vt possibiles: cognoscuntur hæc potius quam illa, quia Deus se exhibet obiectiuè Beato, eumque mouet & determinat, prout est notitia contingens, vel volitio efficax, talis aut talis creaturæ: vel prout actu suam omnipotentiam circa illam exercet. Quamuis enim lumen gloriæ ad has aut illas diuisim æquè valeat: non tamen simul ad omnes valet: sed ex illis communicantur cuilibet plures aut pauciores, pro exi-

89

Cur hæc aut
illæ crea-
tura
plures aut
pauciores
videantur
in Deo?

gentia status Beati, & pro quantitate luminis gloriae, quod quanto maius & intensius est, valet ad plura simul, & ad visionem non intensius tantum, sed extensius quoque maiorem: Sicut inter Angelos, intellectus quod perfectior est, valet naturaliter ad species & cognitiones vniuersaliores.

90 Ad quartum Respondeo primò, non esse necessarium, vt de existètibz videantur tantum ab aliquo Beatorum ea quae pertinent ad ipsius statum: possunt enim plura videri, si merita & dispositiones id postulerent. Secundo, non est necesse vt ea omnia quae de creaturis possibiliibus vel existètibz dicuntur cognoscei à Beatis, cognosceantur omnia in Deo, visione ipsa beatifica, qualis datur à principio, tota simul, immutabilis & inuicibilis: sed tantum pro ratione meritorum vel dispositionum: quae si talia & tanta non fuerint: satis erit quòd per gloriam accidentalem, seu per nouas reuelationes, caetera videantur: vt bene docet Suarez lib. 2. de attribut. cap. 28. in fine, vbi addit probabile esse, Deum ita disposuisse statum Beatorum, & perfectionem illius visionis, vt qualibet, etiam in infimo gradu, potens sit ad videndum omnia supradicta. Sed hoc, vt minimum, valde incertum est. Etenim constat ex Apocalyp. 7. Danielis 10. & aliis Scripturae locis, Angelos, licet, alioqui Beatos, multa de nouo diuinitus per reuelationes cognoscere, vt notant S. Thom. qu. 57. artic. 5. & S. Dionys. de caelesti Hierarchia cap. 7. & inter ea, nonnulla ad statum suum pertinentia: vt duo illi Angeli apud Danielem, cap. cit. de statu populi sibi commissi. Quod Caiet. 3. part. quaest. 10. artic. 2. & alij nonnulli non dissentunt: & D. Thomas id perspicue affirmat 1. 2. 5. sup. cit. in fine corporis, vbi de Beatis Angelis videntibus in Verbo mysterij gratiae, sic ait: *Et horum etiam mysteriorum quaedam à principio suae creationis, id est suae Beatitudinis, cognouerunt: quaedam vero postmodum secundum quod eorum officiis congruit, edocentur.* Possunt autem de nouo discere, vel per nouam reuelationem in Deo ipso, quae sit visio noua distincta à beatifica, non necessaria nec immutabilis, vt illa: neque per lumen gloriae, sed cum auxilio Dei actuali eleuante elicta: vel per externam reuelationem & testificationem claram, siue à Deo immediate, siue ab Angelis, aut ab alio factam. Possunt etiam quaedam ipsimet assensu scientia experimentaliter intucendo quid in mundo, vel in caelo fiat, vt de Angelis saepe in Scriptura videre est.

Non est tamen negandum quòd addunt Nominales, & male negatur à Suarez lib. 2. de attributis, cap. 25. num. 35. posse dari cognitionem Dei, quae simul sit directa cognitio creaturarum, propter rationes superius allatas num. 87. Ad hoc autem quòd obijcit Suarez, actum illum nec posse esse vnum simplicem, nec vnum compositum, vt fufius ibi probare conatur; Respondeo, esse posse simplicem realiter, ratione sola multiplicem:

Quae creatura videtur à Beatis in Verbo?

D. Thom. S. Dionys.

Caietan.

Potest eade cognitio esse directè Dei & creaturarum.

ita vt sicut Deus vno simplici actu, seipsum & alia directè & immediate cognoscit: sic illa cognitio Deum & creaturam directè & immediate attingat, quamuis realiter simplex & indiuisibilis.

SECTIO XI.

An, & quomodo Deus sit ineffabilis?

92 Certum est primò, ac citra cōtrouersiam, Deum esse aliquo vero & proprio sensu ineffabilem. Id enim tanquam de fide traditur à Concilio Lateran. cap. Firmiter, de summa Trinitate & fide Catholica: *Unus est Deus, aeternus, immensus, omnipotens, immutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis.* Sicut tamen non est incomprehensibilis respectu sui ipsius, quasi non seipsum perfectissime & adaequatè cognoscat: ita neque ineffabilis est respectu sui ipsius, quasi non seipsum exprimat adaequatè per verbum mentis, possitque sibi nomen imponere ad ànimetipsi significandum in comprehensue, quicquid est: ita vt eo nomine, siue à se, siue ab aliis prolato, creatur Deus tanquam signo ad se perfectè cognoscendum: eodem modo quo nostris vocibus & orationibus vtitur, vt ea percipiat de quibus illi loquimur: non quasi non antè percepta, sed quasi per voces & preces nostras ipsi representata & exhibita, ex vi vocum significantium.

93 Secundo, certum pariter est, & ab omnibus concessum, Deum non esse ineffabilem eo sensu, vt nullus de ipso sermo haberi, nulum ipsi nomen imponi possit à creaturis: hoc enim vel ipsa experientia falsum esse conuincitur. Sed primò, quia nullum Deo nomen imponi potest, quòd ipsum vlli creaturae existenti, vel possibili, comprehensue significet: ita vt, illo nomine audito, creatura formare possit cognitionem Deo adaequatam in esse cognoscibili: vt patet ex dictis supra de comprehensione. Secundo, quia nullum Deo nomen imponi potest quòd ipsum quidditatiuè & clarè significet puris viatoribus, ita vt illo audito Deum clarè & quidditatiuè, sicuti est, percipiant. Patet, quia cuiusmodi cognitio viatoribus puris impossibilis est, ex suppositione & recti diuini. Per viatores autem puros, intelligo, quales nos sumus: eos scilicet qui neque Deum per se clarè immediate vident, neque per aliud quidditatiuè & germanè cognoscunt, putà per speciem impressam vel exprèsam: cuiusmodi cognitionem haberet ille, verbi gratia, qui intuitiue & clarè cognosceret speciem expressam Beati alicuius: aut ille qui in transitu Deum clarè vidisset, & postea visionis suae recordaretur, quòd saltem cum speciali auxilio non esset impossibile, vt nos solemus recordari naturaliter eorum, quae vidimus, aut audimus. Tertio, quia Deus non solum vno nomine satis ex-

Deus non est ineffabilis sibi ipsi.

Quomodo sit ineffabilis creaturis?

primi nequit viatoribus, aut vlli alteri creaturæ ob incomprehensibilitatem: sed etiam quia quantumuis longo & prolixo sermone, nunquam satis eius excellentia illis explicari potest: iuxta illud D. August. in Psal. 85. circa medium: *Deus est ineffabilis. Facilius dicimus quid non sit, quam quid sit & c. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris ut ascendat in linguam, quod in cor hominis non ascendit?* Et Cyrill. Catech. 6. non longè à fine. *Cum uaque tantus sit Deus, imò longè maior. Neque enim si me totum in linguam mutarero, satis dignè magnitudinem eius eloqui potero. Quò verò si omnes Angeli conuenerim, ita, ut æquum est, id eloqui non possent.* Et Nazianz. in orat. 9. quæ est de fide, paulò post medium: *Hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici, & c.*

August.

Cyroll.

Nazianz.

94

His præsuppositis, conuersa est inter Theologos, an possit Deo nomen imponi à creaturis, quod ipsum propriè & quidditatiuè significet, id est, quod non modò significet aliquatenus propriam eius naturam & quidditatem, ita ut nulli alteri rei propriè conuenire possit (nec enim dubium est posse creaturas, aut etiam viatores, tale Deo nomen imponere: qualia sunt ista: ens à se, prima causa, infinitus simpliciter, omnipotens, & c.) sed quod sit eiusmodi, ut ex vi suæ impositionis valeat ad formandum proprium, id est, germanum Dei conceptum sicuti est: & non analogum dumtaxat, per species alienas & improprias, quales sunt conceptus quos de Deo, & rebus aliis spiritualibus naturaliter habemus hac in vita.

95

D. Thom.

Fazolus.

Communis sententia D. Thom. quæst. 13. artic. 1. & lib. 1. contra gentes cap. 31. in fine, aliorumque plurimorum quos citat & sequitur Fazolus ad artic. cit. dub. 1. num. 3. & dub. 3. num. 15. affirmat nullum nomen posse à viatoribus imponi Deo, quod ex vi suæ impositionis valeat ad exprimendam Dei essentiam sicuti est: posse tamen à Beatis respectu sui inuicem, sed non comprehensiuè, & adæquatè, quantum Deus sibi ipsi ineffabilis est. Fundamentum est, quia, ut aliquid significetur sicuti est, duo requiruntur. Primo, cognitio rei sicuti est, in eo qui nomen imponit. Nam voces imponimus, ut eas substituamus loco rerum, ea ratione quâ à nobis intelligitur, & loco nostrorum conceptuum formalium quos si possemus immediatè manite stare, aut res immediatè proponere, nequaquam voces excogitassetur, per quæ ex instituto significantes, conceptus nostros ad inuicem communicarem, deque rebus inter nos colloqueremur. Ideoque Arist. 1. Periherm. cap. 1. ait voces esse notas earum, quæ sunt in anima, passionum. Et has passionibus ibidem dicit esse rerum similitudines, id est, vitales expressiones obiectorum. Quibus verbis refellitur interpretatio Vasquez disp. 57. num. 8. intelligentis per passiones, ipsos conceptus obiectiuos, id est, res ipsas cognitas. Etenim res non sunt sui ipsarum similitudines, neque etiam sunt in anima secundum

Aristot.

Vasquez.

se formaliter.

Secundò, requiritur facultas rem intelligendi sicuti est, in illis, respectu quorum nomen imponitur, ut eis res significet sicuti est in conceptu loquentis. Quia non possunt illi percipere propriam vocis significationem, nisi percipiendo rem sicuti est in conceptu loquentis, eam exprimentis voce illa secundam primariam eius impositionem & institutionem ad significandum.

96.

Ex quibus manifestè sequitur primò, non posse Deo nomen imponi à viatoribus, quod ipsum significet propriè & quidditatiuè, seu germanè, respectu vllius cognoscentis. Quia viatores non habent talem de Deo conceptum, sed improprium tantum & analogicum: quare cum nomina quæ Deo imponunt, significant Deum prout ab illis concipiuntur, significant tantum improprie, confusè, & analogicè. Sequitur secundo, posse tamen à Beatis imponi Deo nomen quoad ipsum propriè & quidditatiuè significet respectu Beatorum. Quia Beati nomen eiusmodi imponentes, habent proprium & quidditatum Dei conceptum: & Beati audito illo nomine possunt deduci in eundem conceptum Dei. Sequitur tertio, non posse ab illisdem Beatis, vel à Deo ipso imponi Deo nomen, quod puris viatoribus significet Deum propriè seu germanè & quidditatiuè: defectu facultatis ex parte viatorum, ut eo nomine audito possint formare proprium & germanum Dei conceptum. Sequitur quarto, neque à viatoribus, neque à Beatis, imponi posse Deo nomen, ipsum significans adæquatè & comprehensiuè conceptu proprio, germano, & quidditatiuè, adæquate obiectum, & cognoscere quantum absolute cognosci potest. Quia nulla creatura potest Deum comprehendere. Ergo neque significare comprehensiuè. Nomen enim responderet conceptui imponentis, neque melius aut perfectius rem significat ex vi impositionis, quàm sit in cognitione instituentis, & assumentis ad significandum. Sequitur quinto, neque à Deo ipso imponi posse nomen quod ipsum significet comprehensiuè vlli alteri quàm sibi metipso. Quia in nullo alio est, aut esse potest, facultas Deum comprehendendi, & tam perfectè cognoscendi, quàm se cognoscit Deus ipse, tale nomen instituens.

Non possunt viatores imponere Deo nomen significans propriè & quidditatiuè. Possunt tamen Beati.

Sed non significans Deum eò, præcèssu.

Contrarium sentiunt Scotus, & Gabriel in 1. distinct. 2. Molina quæst. 13. art. 1. disp. 2. & Vasq. disput. 57. cap. 2. affirmantes posse à viatoribus imponi Deo nomen quod ipsum significet propriè & quidditatiuè, respectu eorum qui habent facultatem formandi proprium & germanum Dei conceptum, sicut habent Beati. Fundamentum eorum est, quia mensura significationis nominis non est sumenda, ex eo qui nomen imposuit, neque ex eo qui vtitur nomine, sed ex illo qui audit & intelligit conceptum loquentis. At cum Viatores proferunt nomen, Deus, ipsi Beati intelligunt quidditatiuè & essen-

97.

Scotus, Gabriel, Molina, Vasquez. Contraria sententia.

tialiter id quod viatores voce exprimunt, & significant: ergo illud Beatis significat essentia literis & quidditatiuè. Ita Vasq. cap. cit. num. 9. & sequentibus, qui maiorem confirmat ratione, & exemplis. Ratione: quia nomina sunt signa, & symbola, inter eum qui loquitur, seu nomen imponit, & eum qui audit. Imò non dicuntur significare rem imponenti nomen; aut ipso videnti; sed audienti. Quia ipsum tantum facit rem intelligere. Significare autem, est facere ut res intelligatur. Atqui potest contingere ut qui audit, multò melius rem intelligat, quàm qui imposuit nomen, aut illo vitur: Ergo potest melius ipsi significare rem, quàm eam intelligat is qui nomen imposuit. Minorem huius argumenti, & maiorem prioris, confirmat his exemplis. Primò, potest aliquis multò clarius, & distinctius, rem alteri significare, vocem ad significandum imposita, quàm ipsemet eam intelligat. Vt si quis Romæ nunquam versatus loquatur cum Romano de rebus Romæ, quas iste vidit, & ille tantum per picturam aut relationem didicit. Secundò, potest quis etiam nomen primò imponere clarius rem significans audientibus, quàm ipsemet eam percipiat. Vt si cæcus imponat nomina coloribus. Si Rex mittens ad Indos exercitum, imperet Duci, ut quam primam urbem aut insulam ceperit, suo nomine nuncupet. Tunc enim illud clarius Luci, & militibus, incolisque urbis, aut insulæ, significaret; quàm Regi, habenti tantum analogicum eius conceptum ad instar aliarum, aut per picturam. Addi tertio potest ex D. Thom. quaest. 13. artic. 1. in fine corp. quod hoc nomen, homo, exprimit sua significatione essentiam hominis secundum quod est: significat enim eius definitionem declarantem eius essentiam. Ergo perfectius significat, quàm nos concipiamus: neque enim concipimus proprio & germano conceptu essentiam hominis secundum quod est. Et artic. 8. ad 2. ait, nos hoc nomine, lapis, ipsam lapideis naturam significare: quam ex eius proprietate spiritus cognoscere, secundum se ipsam, sciendo quid est lapis.

D. Thomas

Refutatur.

In hac controuersia non magni momenti placet sententiam D. Thomæ, & communem amplecti. Tum quia in questione de nominum impositione & significatione, magna sensus & vsus communis habenda est ratio. Tum etiam quia ex contraria opinione sequitur, posse à creaturis imponi Deo nomen quod ipsum sibi ipsi significet & comprehensiuè: atque ita Deum non esse creaturæ adæquate & simpliciter ineffabilem: quod tamen Vasquez & alij Aduersarij non admittunt. Probatur autem id sequi, quia ex parte Dei non deest vis ad cognitionem sui comprehensiuam: ex parte verò nostri potest esse talis intentio, non enim aliquid instituentis, quo Deum totaliter quantus est, ipsi significemus. Cuiusmodi videtur esse hoc ipsum nomen, Deus, & similia, non ab aliquo speciali attributo desumpta, aut non illi adstricta, sed ad totum Deum significandum im-

posita. Neque deest nobis facultas ita instituenti, si non est necessarium, ut qui nomen imponit, tantum de re significata nouerit ipse, quantum in significatione ponit, ut docent Aduersarij. Friuolum verò est quod respondet Vasquez disp. 57. cap. 3. num. 23. nihil nos posse villo modo significare Deo, loquendo: ideoque non posse uti nominibus, ut ipsi significare dicamur. Quia, inquit, vsus vocum introductus est, ut res concepta, quæ in mente latebat, voce ipsa in locum ipsius conceptus subrogatâ, exprimat & innotescat audienti: & eatenus voces dicuntur significare audientibus, quatenus illis hoc modo exprimitur rem, quos aliquis habet in mente. Cùm autem Deus intueatur corda hominum, & cogitationes nihil ei possumus exprimere vocibus, aut indicare, manifestando conceptus nostros, quos antea ipse nouerat. Ergo nec aliquid vocibus significare. Neque Deus ipse sibi alio verbo loquitur, quàm suo æterno Verbo à se producto. Quare ne à Deo quidem potest imponi sibi nomen comprehensiuè significans. Friuolum, inquam, est hoc responsum: quia licet Deus non egeat vocibus, ut conceptus nostros cognoscat; potest tamen vi nominum, quibus ipsi loquendo utimur, percipere ea de quibus loquimur: non quasi non antea percepta, vel quasi alioqui figura sibi incognita: sed quasi nostris vocibus respondentia, & vi ipsarum cognoscibilia. Deus enim potest cognoscere res per omnia media per quæ possunt euidenter cognosci sine imperfectione. Et quæmadmodum licet res omnes cognoscatur in seipsis, ac per seipsas immediatè: cognoscit insuper nihilominus effectus per causas, & causas per effectus, ut sequenti disputatione probabitur: sic licet conceptus nostros videat immediatè in seipsis: potest nihilominus eos cognoscere per voces, ut signa ex instituto, quæ vim habent ducendi potentiam cognoscitiuam in cognitionem conceptuum, & rerum significatarum. Quare potest cognoscere res per voces à nobis impositas. Idemque dico de nomine quod Deus sibi metipso imponeret. Quale fuit illud, Exodi 3. *Qui est*, quod cum nomine tetragrammato & ineffabili, *Iehoua*, idem esse docent Hebrææ linguæ periti.

Ad primum Vasq. argumentum, Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem dico, nunquam, vi impositionis rem melius intelligi, quàm imponenti nota sit per se, vel per eos quibus vitur ad nomen imponendum, tanquam causis aliquo modo concurrentibus ad impositionem. Dixi, vi impositionis: quia non nego aliunde posse melius intelligi, vi perfectioris intellectus, aut alia de causa. Quo pacto Angeli multò melius intelligunt spiritalia, auditis vocibus quas de illis formamus, quàm nouerint institutores huiusmodi nominum. Dixi etiam, quàm imponenti nota sit per se, vel per eos quibus vitur ad nomen imponendum: Quia sufficit ut illi nouerint. Imò, etiam sufficit nosse in actu

Vasquez.

Creatura possunt aliquid Deo significare per vocem.

99

Nomen vi impo- nis non significat super conceptum imponenti.

primo, id est, posse naturaliter nosse, remotis impedimentis, vel appositis & iuvantibus causis connaturalibus. Nomina enim imponuntur ab hominibus propter humanam societatem & commercium, ut significant res eo modo quo sub conceptus cadere solent, secundum naturalem intelligendi facultatem per se consideratam, & communiter in usu positam. Ex quo patet solutio eorum quæ in exemplum allata sunt à Vaque. Ad ultimum sumptum ex D. Thoma, Respondeo, voces illas, *homo, lapis*, & similes, significare essentiam rei secundum quod est, eo modo quo solet, & potest naturaliter ab hominibus concipi, id est, prout à nobis imperfectè concipitur. Substituimus enim voces loco conceptuum, ut per illas exhibeamus res, quales exhiberemus per conceptus, si per eos immediatè loqui possemus. Quia tamen perfectiùs concipimus essentiam rerum sensibilium, ex earum effectibus & proprietatibus ipsi adequatis; quam essentiam Dei, quam cognoscimus tantum per

creaturas & effectus inadæquatos: Hinc est quòd D. Thomas loco posteriùs citato ait, nos ex effectibus diuinis non posse cognoscere naturam diuinam, secundum quod est in se, ut sciamus de ea quid est: tam perfectè scilicet, ac de lapide, aliisque substantiis sensibilibus; sed per modum eminentiæ, causalitatis, & negationis.

Cæterum imperfectum nostrum cognoscendi modum, esse causam cur Deo nomen quidditatiuè, proprièque significans imponere nequeamus, adeoque nominis significationem pendere à perfectione, vel imperfectiōe conceptus instituentis, docent vltra S. Thomam loco supra citato, & Theologos ferè omnes, Sancti Patres, Cyrillus Hierosolymit. Catech. 6. Gregorius Nazianz. in orat. 45. de Deitate, ad Euagrium; August. lib. 7. de Trinit. cap. 4. Prosper sentent. 61. Cyrillus Alexandrinus lib. 17. contra Iulianum, prope finem: quorum verba refert & expendit Fazolus qu. 13. artic. 1. de bit. 1. num. 5.

Cyrril.
Nazianz.

August.
Prosper.
Cyrillus
Alexand.
Fazolus.

DISPUTATIO NONA.

De Scientia Dei.

- Sectio I. *An sit in Deo scientia, & circa quæ: ac primò circa se-
ipsum?*
- Sectio II. *De scientia Dei circa possibilìa, & alia extra se.*
- Sectio III. *De scientia Dei circa futura libera absoluta.*
- Sectio IV. *Quomodo sit libertas creaturarum cum diuina prescien-
tia futurorum?*
- Sectio V. *De scientia Dei circa libera conditionatè futura.*
- Sectio VI. *Eadem scientia probatur auctoritate Patrum & ratione.*
- Sectio VII. *Refutantur effugia Adversariorum.*
- Sectio VIII. *Respondetur præcipuis illorum obiectionibus.*
- Sectio IX. *An Deus cognoscat decreta conditionata suæ voluntatis?*
- Sectio X. *Examinatur doctrina Recentioris cuiusdam Anonymi con-
tra scientiam mediam.*
- Sectio XI. *Respondetur argumentis eiusdem auctoris contra scien-
tiam mediam.*
- Sectio XII. *Doctrina Ludovici Molina de scientia media contra eun-
dem defenditur.*
- Sectio XIII. *Refutantur eiusdem Auctoris effugia circa Scripturæ testi-
monia, in fauorem scientiæ mediæ proferrî solita.*
- Sectio XIV. *Alia eiusdem effugia circa Patrum auctoritatem, & ra-
tiones allatas, refelluntur.*